Bien. B IX. 5 (a-b)

ETHICORUM LIBRI DUO;

Quibus vera bene vivendi ratio continetur, editi

A

M. JOHANNE RIGERO NORTHUSANO.



Christianus Kinsr. Anno: 1678.

FRANCOFURDI
Apud Andreæ Wecheli heredes,
Claudium Marnium, & Ioann. Aubrium.

M D X C.

Eremi Camal. C. M. C. in Insula Wigrensi ex Legato F. Agathangeli.

Bien. B. IX. 5(a)

CONSILIO, VIRTUTE, ET ERUDITIONE PRÆCLARIS VIRIS D. ERNESTO ERNST, IOHANNI HOFFMAN, IOHANNI GUNTHERO WIGAND Consulibus in imperiali Northusa, GEORGIO WILLEN ejusdem reipublicæ Syndico, & CHRISTOPHORO LUDER J.U.D. Dominis suis summa observantia colendis S. D.

INTER *præclara beneficia, & ornamenta, quibus Deus hominem nobilitavit, illustre certè est ratio, qua non tantum brutis omnibus longè præstat, eaque dominio suo subjicit, sed etiam ipsum creatorem ex creaturis judicat, & quodammodo agnoscit. Longè vero illustrius est, quod hominem ad imaginem suam condidit, in qua pulcherrima virtutum omnium harmonia tam splendidè luxit, ut cum à Deo discesseris; vix quidquam contemplatione, & admiratione dignius extiterit. Etsi au-*

tem præclarissima ista harmonia tam fœdè, & turpiter dissipata, & deformata est, ut ferè nihil de pristina integritate restare jure dixeris; tamen quandam scintillulam, scriptam scilicet legem in cordibus nostris residuam Deus voluit, ut discrimen honestorum, & turpium notum esset, nec homines cum brutis æquè libidini, & rapinis se natos esse arbitrarentur. Cum igitur hæc scintillula divinam originem sapiat; præstantiores quoque nunquam non mirificè illa delectati rectæ rationis præscriptum vel cum vitæ periculo defensum sunt secuti. Quanto animi ardore, & quantis sumptibus veram etiam Dei colendi rationem ignorantes pietati studuerunt. Quanta obedientia, & observantia superiores suos coluerunt. Quanta castitate continentiam suam probaverunt. Quanta fortitudine, & justitia reipublicæ profuerunt. O verè nobiles animos, quorum laus & gloria iisdem, quibus solis cursus, regionibus ac terminis continetur, eosque in maximo hominum cœtu tanquam stellas insigniores excellere, & eminere facit. Commendatur miris modis eruditio, & vita sine literis mors esse judicatur. Expetuntur unicè opes,

opes, & aurum Pactoli, ac sordere alia omnia, quæ his non condita sunt, vulgo creduntur. Extollitur usque ad cœlum potentia, & successus Alexandri Magni, nec esse, quod magis in votis principum sit, conspicitur. At vero quid sunt omnia mundana si non virtute ut gemma speciosissima exornantur? Hæc una est illa ambrosia, & illud nectar, quibus gustatis ad divinitatem quandam rapimur, & rebus humanis superiores quodammodo evadimus. Et si optimus quisque non sine summa oblectatione in amœnissimis Physicorum hortulis mirabilem Deum in miranda creaturarum structura, & copulatione agnoscens commoratur; quis tandem ex hisce satietatem capiet ad fragrantissimas, & mellitissimas nobilissimarum virtutum areas delatus? ubi præstantissima, & gratissima Dei imago, quàm miserè perdidimus, nobis adumbratur, & reditus ad illam nonnihil præmonstratur. Huc veniens Hercules exquisitissima voluptatis lenocinia, & delicias ceu fimum fœtidum fugit, ut in illis solis sese oblectare, & recreare posit. Quod cum ita sit, & vos viri clarissimi non tantum insigni eruditione, sed etiam multis præclaris

virtutibus excellatis; non ingratum V. A. hunc laborem fore mihi plane persuadeo, in quo non scholasticæ, & steriles disputationes, sed suavissimus virtutum chorus per areas suas dispositus exhibetur, ut appareat, quid in qualibet peculiariter sit notandum. Etsi autem à communi opinione nonnihil recedere videor; tamen à temeritate, & novitatis studio facilè me absolvi posse spero. Etenim virtutes usu ita sunt conjunctæ, ut sæpe in eodem facto plures concurrant. Præterea tanta sæpe cognatio est, ut etiam à probatissimis autoribus promiscuè usurpentur, ut me mirum in modum distinctio illarum exercuerit. Cum igitur in animum induxerim, ut virtutes ad bene vivendum discentibus methodicè proponerem, easque distinctas nominibus distinctas quoque formas habere deprehenderem; maximopere studui, ut benè distinguendo benè docerem, & integrum virtutum corpus aptè dispositum exhiberem, quod quidem admodum compactum, & propter brevitatem obscurum videri posset, nisi methodus, quod desiderari posset, suppeditaret. Hæc enim docet generalia omnia, quæ præcedunt simul cum definitione specia-

lißima definitum declarare, ut, Nemesis est
justitia distributiva, qua sine mitigatione
pœnam delicto legitimo modo dictam sonti-
bus dolosis irrogamus. Si autem est justitia
distributiva; est quoque justitia, qua dignam
pœnam de peccantibus ad defensionem bono-
rum pro ea, qua sumus conditione, sumimus.
Et si est justitia; est quoque virtus repen-
dens, qua ad societatis humanæ conservatio-
nem cuique damus, quod ei debemus. Si au-
tem est virtus rependens; est quoque vir-
tus communis, qua cuique pro conditione
nostra referimus id, quod factis suis est me-
ritus. Si est virtus communis; est quoque
virtus moralis, qua erga alios nos ita geri-
mus, ut suum cuique exhibeamus. Si est vir-
tus moralis; est quoque virtus; qua id, quod
à virtute dianoëtica pro honesto exhibitum
est, promptè, & expeditè persequimur. Si
tandem est virtus; est quoque facultas ani-
mi, qua secundum rectam rationem honestè
agimus. Hinc colligi in potest generalib. mul-
tas utiles admonitiones præmitti, quæ non
parum faciunt ad uberiorem definiti expli-
cationem, exempla illustria & grata ex pro-

batißimis quibusque autoribus descripsi, & singulis virtutibus addidi. Quod restat maximopere exopto, ut hoc opusculum publicè testetur me grato animo agnoscere plurima V. A. beneficia apud me posita, precor etiam Deum, ut vos ecclesiæ suæ nutritores, & præstantes reipublicæ nostræ præsides diu servet incolumes.

V. A.

deditissimus

M. Iohannes
Rigerus.

ETHICORVM LIBER PRIMVS.

CAPUT I.

ETHICA est ars, qua virtutes ad bene vivendum docentur.

NOTUM est,& tantoperè celebratum γνῶθι σεαυτὸν, ut etiam foribus templi Delphici per Amphictyones sit inscriptum. in memoriam enim revocat legẽtibus,iisq; commendat perpulchram illã virtutem, quę modestia dicitur, & seminarium est multarum actionum honestarum. Si autẽ hoc pręceptum in tanto pretio fuit, quod unicam virtutem docuit, quibus tãdem laudibus ad cœlum usq; efferetur Ethica, in qua non seclusa aliqua aquula tenetur, sed unde universum flumen virtutũ erumpit? Est enim ars ista, in qua virtutum chorus longè pulcherrimus mentis oculis integrè exhibetur. Et quoniam ars est; erit quoque ordo certarum propositionum exercitatione cognitarum ad finem utilem in vita. Quod autem sit ordo in hac arte, quæ per synecdochen membri à virtute morali nomen habet; testatur methodus, quæ in tota hujus descriptione sine ulla interruptione continua est propositionibus exercitatione cognoscendis,

laus Ethicae per comparationem.

quæ ut sint certæ, genere & forma describuntur. Summam vero hujus artis utilitatem esse planissimum fit duobus argumentis. primum est, quod docet, & excolit istam legem, quam teste Paulo Rom. 2. homines scriptam habent in cordibus suis. inculcat enim nobis aliquo modo priorem integritatem, ex qua excidimus, nosque adhortatur, & instigat, ut velis equisque ad amissam lucem contendamus. Cum igitur hæc ars legem naturæ sequatur, & ad eũdem finem lippis tamen ocellis respiciat; dubium non est, quin tam utiliter doceatur, ut hujus præcepta non nisi ab insanis, aut spurcissimis suibus negligantur. Secundum est, quod hæc ars fundamentum & basis est Iurisprudentiæ, qua vitæ humanæ societas regitur, & conservatur. Cum enim juris antistites deceat, ut suis sententiis definiant, quibus præmia, quibusque pœnæ irrogandæ sint; nihil dignum suo nomine, suaque autoritate proferent, si non perfectam virtutum omnium delineationem & noverunt, & expendunt, ex qua prima purioris, & minimè ambigui juris principia omnino sunt petenda. Forma hujus artis est, quod hac virtutes ad benè vivendum docentur. Docere autem est distinctè, & perspicuè discentibus aliquid proponere, juxta vulgatum dictum: Qui benè distinguit benè docet. Cum igitur virtutes usu conjungantur, ut sæpe à probatissimis, quibusque autoribus pro-

promiscuè vsurpentur; methodici judicii dexteritate suum cuique dandum est, ut appareat quid quælibet virtus ad honestam conferat actionem. Neque etiam sufficit in hac arte quatuor tantum principales virtutes, aut plures tradidisse, sed omnium concentus exhibendus est, ut nihil adeo desideret, qui generalem requirit in quocunque vitæ genere benè vivendi rationem. Etsi autem virtutes naturales sunt, & lex scripta in cordibus hominum, tamen exercitio, & usu expoliuntur, pręceptisque bonis confirmantur, & augentur. Non aliter ratio nostra naturalis est, quę tamē per Dialecticam tanquam ager incultus excolitur, & ut uberiores fructus ferat præparatur. Falluntur igitur, qui virtutem ἀδίδακτον esse asserunt, vt non doceri possit.

De virtute.

CAP. II.

Virtus est facultas animi, qua secundum rectam rationem honestè agimus. Estque Dianoëtica, aut Moralis.

Studium virtutis in Germanis brevi quidem sed tamen insigni elogio ornat Tacitus: Plus, inquit, ibi valent boni mores, quàm alibi bonæ leges.

Hoc virtutis studium ostendit nobilitas Ger-

manica in equestribus certaminibus, ad quæ nullum admiserunt, qui labe aliqua insigniori, aut publica infamia notatus erat, ut ita strenuo, & nobili impetu ad virtutem raperentur.

Præcipuæ tribus artificum mechanicorum apud Germanos neminem in societatem admittunt, qui vel facinore aliquo, vel vitio carbone digno est contaminatus. Quinetiam excludunt non tantum illegitimè natos, sed etiam prognatos ex parentibus per se quidem honestis, sed ludicrã, minusque ingenuo, & libero homine dignam artem tractantibus, ut suos hac ignominiæ nota ab inhonestis & servilibus actionibus retractos ad virtutis, & libertatis amorem invitarent.

Sic Lacon studium virtutis declaravit interrogatus, cur prolixam barbam aleret. Respondit enim, Ut canos videns nihil indignum illis committam. Lycurgus Lacedæmone puellas indotatas nubere voluit, ut non opes, sed virtutes earum spectarentur.

Subiectum totius Ethices est virtus. in hac enim sola explananda est occupata, eamque separatam ab Epicuri, Stoicorum, aliorúmque Philosophorum variis opinionibus, & disputationibus, distinctámque à juridicis quæstionibus persequitur. Etsi enim arctissimo vinculo Ethica cum jurisprudentia connexa est, ut usu separari non possint; præceptis tamen distingui debent, ut Ethices terminus ultimus ante vestibulum juris collocetur, quod hoc testi

testimonio communi comprobatur: ubi desinit Ethicus, ibi incipit Jureconsultus. Sic maximam cognationem virtus cum affectibus habet, qui tamen è Physicis in Ethicam tanquam alienum agrum non sunt transferendi. Longè enim aliud est affectus, quàm virtus, quæ sæpe in affectu solet elucere. pro genere virtutis ponitur facultas animi. Virtus enim non tam habitus est crebris actionibus comparatus, quàm facultas, & vis animi innata, ac scintillula de priori luce residua, quæ exculta, & exuscitata vigorē accipit, & redditur ardentior, ut conspici potest in generosis naturis, quæ non usu & exercitatione, sed impetu naturali ferè in ipsis incunabulis non obscura egregiæ virtutis produnt argumenta. Perfectior certè virtus nusquam, ut in Deo & angelis reperiri potest, nihílque minus, quàm habitus dici potest, cum naturalis, & propria illorum facultas rectè existimetur. Et quoniam omnis virtutis laus in actione consistit; additur etiam in definitione, quod hac secundum rectam rationem honestè agimus. Omnes enim actiones ad rectam rationem delatæ tanquam per Lydium lapidem examinantur, ut etiam ab hac rejectæ nomen virtutis non mereantur. Est autem recta ratio non cujuslibet placitum, aut imaginatio, sed illud judicium, quod mentibus omnium saniorum lege naturæ inscriptum est. Hoc si sequimur

non facile in ciuilibus à recto tramite aberrabimus, quod Cicero 1. de legibus testatur. Hîc verò multæ, & variæ actiones occurrunt, quæ cum recta ratione congruunt, nec tamen inter virtutes numerari possunt. Cujuscunque enim bonæ artis effecta rectæ rationis judicio probantur ut utilia, & bona, laudeque digna, sed non honesta, vt virtutes, quæ solæ eminent, & divinitatem quandam sapiunt, ut hominem paulo superiorem rebus humanis faciant, omnésque reliquas actiones, cum quibus conjunguntur, honore, & admiratione soleant illustrare. Hinc est quod Plutarchus in commentario, quem inscripsit aduersus principem indoctum, negat Deos hoc nomine felices esse, quod quàm diutissimè vivant, sed quod virtutis sint principes, & auctores. De virtute in genere Sene. in Epi. ait: *Gloria umbra virtutis est, etiam invitos comitabitur*. Et, *Nulli non virtus & vivo, & mortuo retulit gratiam, modo illam bona secutus est fide*.

Cic. 5. de Finibus: *Tantum in virtute, ut ea præditi vel in Phalaridis tauro beati sint*. Cic. de Sene. *Quanti est æstimanda virtus, quæ nec eripi, nec surripi potest unquam, neque naufragio, neq; incendio amittitur. qua præditi qui sunt soli sunt divites*. P. Mimus. *Perit voluptas, virtus immortalis est*. Plautus. *Virtus omnia in se habet: omnia adsunt bona, quem penes est virtus*. Cic. 9. fam.

fam. Epist.14. *Nihil mihi crede virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius.*

De virtute Dianoëtica.

CAP. III.

Virtus dianoëtica est virtus, qua honestas actiones inquirimus, & probamus.

Estque sapientia, aut prudentia.

Cicero 2. Agra. celebrat virtutem Catonum, Philipporum, Læliorum in publicis, priuatisque; forensibus, domesticisq; rebus. Necesse igitur est, ut virtute dianoëtica præditi fuerint, qua honestas actiones elegerunt.

Carolus quartus Imperator expertus varias difficultates in electione, cum prospexisset enervatum tandem iri Germaniam tam periculosis machinationibus, & factionibus insidiosis, quibus electio imperatorum plerumque fuit implicita, aut impedita; legem Carolinam ferendam esse rectè censuit, qua ritum, ordinem, & leges in electione imperatoris observandas justè descripsit.

Homerus à principe requirit, ut occulatus sit πρόσσω καὶ ὀπίσσω, *à fronte & à tergo.*

Ex virtutis speciebus hæc generalior est, quæ à mentis judicio dianoëtica dicitur. Cum enim variæ sint actiones, quæ honestæ videntur; accedit hæc virtus, & ad normam rectæ ra-

tionis omnes examinat, eligitque eas, quæ reliquas honestate, & utilitate vincunt, electas virtuti morali offert, ut has actione persequatur. Jure igitur hæc virtus dianoëtica priorem locum sibi vendicat, cui Aristoteles in sexto demum libro absolutis virtutibus moralibus locum concedit, cum tamen ipse in definitione virtutis generali prudentiam admisceat, & ita satis apertè doceat virtuti morali per virtutem dianoëticam, quid agendum sit demonstrari. Sic Cicero 1. Offic. virtuti dianoëticæ primum locum assignat: *Sed omne quod honestum est id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri solertiáque versatur, aut in societate hominum tuenda, tribuendóque suum unicuique, & rerum contractarum fide: aut in animi excelsi, atque invicti magnitudine, ac robore: aut in omnibus, quæ fiunt, quæq; dicuntur ordine, & modo, in quo inest modestia & temperantia.* Eandem dispositionem sequitur Cicero 2. offic. cum inquit: *Etenim virtus omnis tribus in rebus ferè vertitur, quarum una est in perspiciendo, quid in unaquaque re verum, sincerúmque sit, quid consentaneum cuique, quid consequens, ex quo quæque gignantur, quæ cujusque rei sit caussa: Alterum cohibere motus animi turbatos, quos Græci πάθη nominant, appetitionésque, quas illi ὁρμὰς, obedientes efficere rationi: Tertium iis, quibuscum congregamur, uti moderatè, & scienter: quorum studiis ea, quæ natura de*

rá desiderat, expleta, cumulatáq; habeamus, per eos denique, si quid importetur nobis incommodi, propulsemus, ulciscamúrque eos, qui nocere nobis conati sunt, tantáque pœna afficiamus, quantam æquitas, humanitásque patitur. De hac virtute Cic. 1. offic. *Non incognita pro cognitis habeamus, hisque temerè assentiamur. quod vitium effugere qui volet, (omnes autem velle debebunt) adhibebit ad res considerandas & tempus & diligentiam.* Terent. in Adel.

Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est Videre, sed etiã illa, quæ futura sunt prospicere.

De sapientia.

CAP. IIII.

Sapientia est virtus dianoëtica, quâ quid in necessariis honestum sit, exactissimè prospicimus.

Rudolphus primus Imperator inauguratione solenni in imperium collocatus sapienter judicavit, primo omnium latrocinia, seditiones, tumultus, & bella, quibus vehementer attrita erat Germania, tolli debere, ut patriæ pax, & tranquillitas redderetur. Sapienter tumultuantes, & hostes suos aggressus est. sapientissimè nervos imperio præcisos restituit, & sanavit.

Ferdinandus Imperator deprehendens totam Germaniam intestinis bellis, & acerbissimis odiis

ardere propter motum de religione certamen, sapienter se ad placida consilia, & media convertit, & sic Germaniam pacavit, quod Carolus Quintus Imperator potentia, victoriarum celebritate, & fortitudine bellica celebratissimus vi, & armis non potuit præstare.

Otto tertius plurimis seditionibus commotus cum Gregorium Pontificem restituisset, decretũ fecit Pontifice assentiente, idq; sanciente, & promulgante, ut in posterum jus omne, atque potestas eligendi Romanum Imperatorem esset apud solos Germanos, nec liceret Romano Pontifici quẽquam proclamare Imperatorem, nisi quem proceres Germaniæ ad fastigium evexissent.

Contendebant inter se de Bavariæ principatu non sine reipub. detrimento vitricus Henricus Austriacus, & privignus Henricus Leo Saxo. Has controversias Fridericus Barbarossa Imperator moderata damnorum exæquatione diremit, & sancita ἀμνηστίᾳ perfecit, ut principum animi vera inter se mutuáque benevolentia coalescere potuerint.

Amurathes Turcicus Imperator cum Asiaticas copias cum Europæis subito ad Varnam conjunxisset, & Ladislaus rex videret pugnandum esse, struxit Hunniades Christianam aciem maturo deliberatóque consilio, ut latus unum ad paludem quandam, alterum ad currus valli instar, aut muri concatenatos, tergum exercitus ad mõtes converteret.

Fridericus

Fridericus Elector Saxoniæ, qui in historiis cognomento Sapiens dicitur, cum rectè expendisset imperii maiestatem, & molem summam, suam senectutem, pericula, & difficultates ex crebra imperatorum mutatione, sapienter recusavit imperium sibi oblatum, & suo calculo ad Carolum Quintum ætate validum, atque heroicis virtutibus, & opibus instructissimum deferri curavit. Idem dixit: Nihil magis cavendum est gubernatori, quàm ne subitò respondeat. Noverat enim objectum esse Demostheni, quod veniret præmeditatus ad dicendum, eúmque respondisse: se improbum civem judicare, qui non veniret præmeditatus in publicum ad sententiam dicendam, seque, si fieri posset, dicturum non tantum scripta, sed etiam sculpta.

Augustus Elector Saxoniæ prædives, & autoritate grauissimus princeps, animo cogitans multiplices confusiones ex cõtinuis aulicorum helluationibus ortas, sapienti consilio leges sumptuarias tulit, & sic prohibuit, quo minus insatiabiles ventres principem simul cum ditione possent ingurgitare.

Ditericus Marchio Mysorum videns ἀσοργίαν, nefandam libidinem, & crudelitatem fratris Alberti erga legitimam conjugem, sapienter existimavit justum esse, ut hoc præterito filios ejus legitimos generosissimos adolescentes instituerei hæredes.

Asdrubal exercitum in Italiam adduxerat;

ſe conjuncturus cum fratre Hannibale. id cum Claudius interceptis literis cognoviſſet, relicto Hannibale, cui oppoſitus erat in Apulia, ſex dierũ ſpatio emenſus longitudinem Italiæ, conjunxit ſe cum altero conſule Livio. ibi cum dimicaretur, Aſdrubal interfectus eſt, & exercitus ejus deletus. Redit Claudius in ſua caſtra, & caput Aſdrubalis interfecti abjici ante caſtra Hãnibalis jubet, & duos captivos mittit Hannibali, ignoranti fratris adventum, & infelicem pugnam, narraturos hæc ut acciderant. His cognitis Hãnibal mœſtus longius exercitum in Brutios abduxit, & gemens ſe fortunam Carthaginis agnoſcere dixit.

In hac definitione duo potiſſimum ſunt conſidetanda: ſubjectum hujus virtutis, & effectum. Sunt autem ſubjectum neceſſaria, quorum veritas cum mutari non poſſit, prudentia quoque ſublimiorem, & perfectiorem ſapientiam reddunt, quod ipſum Ariſtoteles 6. Ethic. cap. 7. fatetur, ubi ſapientiam perfectiſſimam omnium ſcientiarum facit, eo quod circa res præſtantiſſimas, & æternas verſatur. Effectum eſt exactiſſimè honeſtum proſpicere, quod licet non ſatis cadat in hominem, tamen ſapientiæ recte aſcribitur. virtutes enim non ut in homine, ſed, ut per ſe ſunt, definiri debent. Cic. 1. offic. Sapientiam rerum divinarum atque humanarum ſcientiam dicit latiori deſcriptione, quàm ut inter definitiones virtutum referri poſſit. Nam in Ethicis non quæ-

quæritur omnimoda quædam ſcientia, ſed ratio benè vivendi. Sufficiat igitur inter virtutes talis ſapientia, quæ monſtrat quid in neceſſariis honeſte peragi poſſit. De hac virtute Proverb. 21. *Civitatem fortium aſcendit ſapiens, deſtruxitque robur fiduciæ ejus.* Proverb. 18. *Aqua profunda ex ore viri, & torrens redundans fons ſapientiæ. Cor prudentis poſſidebit ſcientiam, & auris ſapientium quærit doctrinam.* Proverb. 20. *Sicut aqua profunda, ſic conſilium in corde viri, ſed homo ſapiens exhauriet illud.*

Iuven. Sat. 13.

---plurima felix
Paulatim vitia, atq; errores exuit omnes
Prima docens rectum ſapientia.

Cic. 3. de fin. *Præclarè beatum Plato ait, cui etiam in ſenectute contigerit, ut ſapientiam, veráſque opiniones aſſequi poſſit.*

Idem 3. Tuſcul. *Hæc eſt illa præſtans & divina ſapientia, perceptas penitus, & pertractatas res humanas habere, nihil admirari cum acciderit, nihil antequam evenerit, non evenire poſſe arbitrari.* Ibidem: *Sæpe eſt etiam ſub palliolo ſordido ſapientia.* Cum hac virtute pugnat ſtultitia, quæ ex neceſſariis nihil, quod ad honeſtatem faciat, deducere poteſt. Deinde pugnat nimium ſapere, quo aut nihil, aut rariſſimè quod honeſtum & utile eſt, concluditur.

Pugnantia. Stultitia.
Nimia sapia

De prudentia.

CAP. V.

Prudentia est virtus dianoëtica, qua honestas actiones in contingentibus accuratè eligimus.

Cum tres potentes reges Matthias Hungarus, Casimirus Polonus, & Ladislaus Bojemus ad urbẽ Uratislaviam exercitus adducerent, ut totis viribus de Silesiæ, & Moraviæ imperio contenderent, idq́ conjunctum fore videbatur cum maxima pernicie vicinorum, Ernestus dux Saxoniæ Elector, & Iohannes Marchio Brandeburgensis prudenter salubrem medicinam jam jam ingruentibus malis invenerunt. ut enim mansuetudine, & fortitudine bellica rem tentarent visum fuit, & hisce mediis feliciter totum negotium composuerunt.

Themistocles adveniente Xerxe in Græciam monitus oraculo prudenter vidit sese deserta patria majori fortitudine, & successu in angustiis maris cum numerosissimo Xerxis exercitu posse confligere, quàm in planitie aliqua ubi facile posset circumveniri. Hujus sapientiam & prudentiam simul Thucydides his verbis laudat: Erat Themistocles præcipuè dignus admiratione præ aliis, qui acie suæ mentis non præmonitus, nec diu considerans in rebus subitis optima consilia habebat, & de futuris, quid eventurum esset, rectissimè conjiciebat, & quæ in præsentia in manibus

habebat explicare poterat, & quæ non norat, non destitit inquirere. In obscuris autem rebus quid melius, aut deterius esset, omnium maximè prospiciebat, & ut in summa dicam, naturæ viribus, & celerrima deliberatione optimè id eligebat, quod maximè profuturum erat.

Fabius Maximus videns successum & audaciam Hannibalis, prudenter judicavit non tam bello, quàm cunctatione eum frangi posse, & sic artificiosissimè aliquandiu circumductum vincit.

Fridericus Austriacus certans cum Ludovico Bavaro de imperio, instructum exercitum in Bavariam ad oppida Muldorf, & Ottingam adducit, ibique fratrem Leopoldum Rhetos, & Suevos ducentem expectat. Ludovicus igitur sciens Leopoldum rei militaris peritum esse, & periculosum fore, si se cum fratre conjunxisset, videns etiam hostes securos & populationibus in terra ubere occupatos esse, subito committendum esse prælium prudenter statuit.

Eduardus Angliæ rex cum per Septemviros ad imperium vocatus esset, & provideret non fore consultum rebus suis, si distractas regni vires pariter in periculosissimum bellum cum Francis, & difficilimam imperii gubernationem impenderet. Posse enim fieri, ut hinc à principibus desertus imperio excuteretur; illinc superatus, regno. Contentus igitur honorifica principum de se opinione dignitatem non accepit.

Post Eduardum Imperium à Septemviris ad Fridericum Marchionem Misniæ virum acrem & bello strenuum delatum est, qui unus tunc inter omnes excellebat prudentiæ, gravitatis, belli, & opum gloria, & videbatur allaturus esse ad Imperium omnia necessaria belli, ac pacis tempore præsidia à sese, & à rebus, atque fortunis suis. Hic cum sciret Germaniam plus satis proximis bellis afflictam, & vero amore patriæ nihil magis, quàm tranquillitatem ejus expeteret; non irritam Caroli electionem faciendam esse censuit, & sic imperium recusavit.

Jethro socer Moysis videns difficilem ejus gubernationem, salubri consilio eum juvat, dum suadet, ut viros probatæ fidei, & pietatis eligat, ad quos partem gubernationis devolvat.

Ex hac definitione colligi potest, non astutiam, aut quamvis solertiam, vel scientiam futurorum prudentiam esse, sed illam tantum, quæ in inquirendis honestis actionibus est occupata, & has ex contingentibus eligit, hoc est, ex iis quorum veritas adhuc mutari potest. Cum igitur difficilimum sit ex hisce, quid honestum sit, eligere; non præcipitanter, sed probè consideratis omnibus circumstantiis judicandum est, quod ut maiori dexteritate fiat, sapientia conjungenda est, quæ in præteritis, & præsentibus similibus honestum monstrans prudentiam informat, ut expeditius, quid bonum virum deceat, invenire possit. De hac virtu-

virtute Proverb. 17. *Posside sapientiam, quia auro melior est, & acquire prudentiam, quia pretiosior est argento.* Proverb. 24. *Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur.* Proverb. 27. *Quomodo in aquis resplendent vultus perspicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* Menand.

βουλῆς γὰρ ὀρθῆς οὐδὲν ἀσφαλέστερον.

Consilio enim recto nihil tutius. Et:

ἱερὸν ἀληθῶς ἐστὶν ἡ συμβουλία.

Sacrum quid verè est consilium. Sophocl. apud Plutarch. de gar.

οὐ γάρ τι βουλῆς ταὐτὸ καὶ δρόμου τέλος.

Non enim consilii idem, & cursus finis. Ratio conspicua est, quod in cursu vincit, qui celerrimus est; in consultando cunctatio tutior est, & periculosa celeritas. Sic apud Græcos nocturnus cõventus fuit gravissimorum virorũ, ad quem rejiciebantur difficilimæ caussæ, quæ tum temporis majori industria & absque impedimentis accuratius tractarentur. Sallust. *Nam priusquam incipias consulto, ubi consulueris maturè facto opus est. Deliberandum est diu, quod statuendum est semel.* P. Mimus: *Ad pœnitendum properat, cito qui judicat.* Idem: *Bonum est fugienda aspicere in alieno malo.* Sic in versu dicitur,

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

P. Mimus: *Consilio melius vincas, quàm iracundia.* Horat.

Sperat infeſtis metuit ſecundis
Alteram ſortem bene præparatum Pectus.

1. Ab hac virtute diſcrepat ſtupor, qui neque honeſtum, neque utile ex contingentibus colligere poteſt. 2. Deinde diſcrepat temeritas, quæ nimis confidenter de contingentibus pronuntiat.

De virtute morali.

CAP. VI.

Hactenus virtus dianoëtica fuit: ſequitur virtus moralis.

Virtus moralis eſt virtus, qua id, quod à virtute dianoëtica pro honeſto exhibitum eſt, promptè & expeditè perſequimur.

Eſtq; propria, aut communis.

Quemadmodum Herculi parum ad immortalem gloriam profuiſſet, ſi tantum, ut ſterilem diſputationem, virtutis, & voluptatis certamen audiiſſet: ita futuro Ethico non tantum incumbit, ut per virtutem dianoëticam quid honeſtum ſit inveſtiget, ſed etiam neceſſe eſt, ut per virtutẽ moralem, quod laude dignum eſt, perſequatur. Etſi enim virtutes dianoëticæ poſſeſſorem ſuum in ſublimiori loco conſtituunt, nec leviter commendant, tamen ſi virtutes morales non reſpon-

dent;

dent; jucundissima virtutum harmonia perturbata, & soluta obscuratur omne id, quod antea celebratione dignum fuit. Et veluti Athenienses quondam ignominiæ notam acceperunt, quod seniori cuidam in theatrum venienti nō cesserint, scientes, quid rectum & honestum sit, sed non facientes: sic reprehensionem non effugiunt, qui honestum illud, quod virtute dianoëtica perspexerunt, actione non prosequuntur. Hinc est, quod Cicero majorem laudem virtutibus moralibus, quàm dianoëticis ascribit, dum 1. offic. affirmat, *Consideratè agere pluris esse, quàm cogitare prudenter, omnémque virtutis laudem in actione consistere*. Item: *Omne officium, quod ad conjunctionem hominum, & ad societatem tuendam valet, anteponendum est illi officio, quod cognitione, & scientia continetur*. Hujus virtutis perfectio ex voluntate, & agilitate judicatur. Quælibet enim virtus moralis promptè & expeditè exequitur, qđ sibi pro honesto exhibitum, & mōstratum est. Et veluti delictum non tam grave est, si principium actionis extra est, nihil adjuvante eo, cui vis infertur: ita etiam virtus moralis non laudabilis est, si involuntaria est, animóque fit difficili, & reluctante. Ut cum sceleratus quispiam coactus honesta facit; actio ejus voluntaria non est, nec promptè, & expeditè agit, sed cum animi indignatione ea efficit, quæ suæ naturæ adversantur. Huc refer-

ri etiam poteſt,quod Ariſtoteles 3.Ethic.cap. 1.de mixtis delictis diſputat.Hæc enim oriuntur à voluntate, quæ quidem cogi nunquam poteſt,ſed perpetuo eligit,quod ſibi commodius & melius videtur, nec tamen probat, & committit id, quod abſque periculis committeret,& probaret. Sic etiam virtus moralis mixta quodammodo eſt,minuſque perfecta, cum nō ſatis prompta eſt,& cum quadam indignatione honeſtum monſtratum perſequitur.Ut ſi quis Herculis exemplo voluptatis,& rectæ rationis luctam ſentiret, & perſuaſus quidem à recta ratione faceret, quod eſt honeſtum,ſed non ſine difficultate,& tarditate, quas affert appetitus in ipſa etiam actione honeſta contra rectam rationem nitens;ille nec promptè ſatis,nec expeditè ageret,perfectáq; non haberet virtutem moralem. Quantum enim de forma,tantundem de perfectione,& idea virtutis perit,quæ in hac arte deſcribitur. De hac virtute Sene. *Sera nunquam eſt ad bonos mores via.* Idem de brevita. vitæ. *Non exiguum temporis habemus, ſed multum perdimus. Satis longa vita, & in maximarum rerum conſummationem largè data eſt,ſi tota benè collocaretur.* Idem in Epiſt. *In mores fortuna jus non habet.* Ibid. *Nulli ſine Deo mens bona eſt.* Ibid. *Quomodo fabula,ſic & vita; non quamdiu,ſed quàm benè ſit acta refert. nihil ad rem pertinet, quo loco deſinas, quocunque voles deſine, tantum bonam*

bonam clausulam impone. Ibid. *Actio recta non erit, nisi recta fuerit voluntas. Ab hac enim est actio.* Ibid. *Simplex recti cura est, multiplex pravi.*

De virtute propria.

CAP. VII.

Virtus propria est virtus moralis, qua actionem honestam ad nos potissimum pertinentem exequimur.

Estq; taciturnitas, aut virtus vocalis, aut temperantia, aut magnanimitas.

Verissime Horatius inquit lib. 1. Ser.

Nam vitiis nemo sine nascitur, optimus ille est,
Qui minimis urgetur.

Et Claudian.

Sed quia cæcus inest vitiis amor, omne futurum
Despicitur suadetq; brevem præsentia fructum,
Et ruit in vetitum damni secura libido.

Hanc affectuum perversitatem optimi quique etiam experiuntur, ut sæpe summas difficultates facilius perferre, & superare, quàm illorum vehementiam expugnare possint. Et quoniam hic, qui affectibus suis ducitur, seipsum non potest regere; fieri non potest, ut aliis recte utatur, aut his prodesse possit. Hæc igitur virtus possidentem informat, ut non minus suis membris, quàm affectibus rectè

uti ſciat, & ſic expeditius erga alios ſe honeſtè gerere poſſit.

De taciturnitate.

CAP. VIII.

Taciturnitas eſt virtus propria, qua arcana, & reprehenſionem rectè judicantium incurrentia in pectore arctiſſimè clauſa continemus.

Eſtq; honeſta, aut neceſſaria.

Duo generaliter in taciturnitate requiruntur. Primũ eſt ut arcana taceamus, quod quàm ſit laudabile Ovidius docet:

Eximia eſt virtus præſtare ſilentia rebus:
At contra gravis eſt culpa tacenda loqui.

Sic Salomon in Proverb. 20. futilitatem reprehendit: *Non verſeris cum illo, qui arcana detegit.* Garrulus enim ſæpiſſimè ſeipſum cõfundit & inviſum bonis viris reddit, taciturnus ferè nunquã. Præterea magnum ſæpe damnum præſertim reipub. dat, qui Parmenonem Terentianum imitatus hac atque illac perfluit, quod proverbio notatum eſt: *Lingua quò vadis erectum civitates, & eaſdem ſubverſura?* Hoc ipſum Salomon in Proverb. cap. 18. docet. *Mors & vita in manu linguæ.* Alterum requiſitum eſt, ut reprehenſionem rectè judicantiũ incurrentia tacitè nobiſcum contineamus. Fugere igitur debemus blaſphemiam, qualibet

bet obscœna, levia, & scurrilia, suggillationes, & similia, quæ in virum bonum minimè cadunt. De hac virtute Proverb. 13. *Qui custodit os suum, custodit animam suam: Qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Proverb. 21. *Qui custodit os suum, & linguam suã, custodit ab angustiis animam suam.* Proverb. 25. *Sicut urbs patens, & absq; murorum ambitu: ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Sen. lib. de morib. *Auribus frequentius, quàm lingua utere.* Ibid. *Qui nescit tacere, nescit loqui.*

De taciturnitate honesta.

CAP. IX.

Taciturnitas honesta, est taciturnitas qua linguam tantisper continemus, donec cõveniens loquendi locus est datus.

Hæc virtus cum humanitate, & humilitate conjuncta Maximilianum secundum Imperatorem in comitiis mirificè in animos subditorum insinuavit. Etenim post prandium solitus est remota mensa ad fenestram sese quibusvis in area cum supplicibus libellis præstolãtibus offerre, eosq; sine morosa, & superba interpellatione audire, quo consecutus est, ut probè cognita caussa sapienter, & justè sententiam ferre potuerit.

Cum Paulus Ephesi concionaretur, Demetrius aurifaber seditiosorum multitudinem in illum

effudit, quæ duas horas magnam Ephesiorum Dianam esse alta voce clamavit. Hunc tumultum cum magister epistolarum sedare vellet; silentium prius impetrat, postea orationem ad populum habet.

Paulus Hierosolymis captus, & à militibus è Judæorum manibus ereptus in castra ducitur, ubi à Tribuno militum petit, ut sibi liceret ad populum loqui. Hoc cum impetrasset, & populus jam taceret; oratione sua eos alloquitur. Sic postea ad Agrippam regem ductus non prius verba facit, quàm sibi ab Agrippa copiam dicendi datam agnoscit.

Pythagoras cuidam quærenti quomodo inter sapientes ejus discipulos computari posset, respondit: Præsta silentium donec necessarium sit tibi loqui: Ne festines respondere, donec fuerit finis interrogationis: Nec quæstionem in conventu tentes solvere, cum sapientiorem te interesse prospexeris.

In hac virtute præcipitur, ut locuturi conveniens dicendi tempus expectemus, idque potissimum duobus modis fit. Primo si in cōsessum seniorum, aut graviorum admittuntur juvenes, aut inferiores; non parum eos commendat moderata taciturnitas: nec tamen sic requiritur, ut tanquam statua in honesto congressu sedeant. Si enim unus aliquis ad respōdendum provocatur; locus ad dicendum jam est datus: aut si cuivis ex præsentibus permittitur,

titur, quod cognitum & perſpectum habet, in medium proferat ſingulis quidem copia dicendi facta eſt, ſervato tamen ordine, & modo, quod Syra. 32. cap. docet: *Audi tacens, & pro reverentia accedet tibi bona gratia. Adoleſcens loquere in tua cauſſa vix cum neceſſe fuerit. Si bis interrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum, in multis eſto quaſi inſcius, & audi tacens ſimul, & quærens. In medio magnatum non loqui præſumas, & ubi ſunt ſenes non multum loquaris.* Secundo tempus dicendi datur, cum alii orationi ſuæ finem imponunt, qua vel nos allocuti ſunt, aut aliàs ſenſa ſuæ mentis propoſuerunt. Qui enim dicentem neceſſitate non urgente interpellat, ſuámque orationem cum illius dictis miſcet, præcipitantiam prodit cum magna plerunque conjunctam judicii infirmitate. De hac virtute Proverb. 17. *Qui moderatur ſermones ſuos, doctus & prudens eſt, & pretioſi ſpiritus vir eruditus.* Gregor. libr. 7. mora. *Lingua ſub magni moderaminis libratione frenanda eſt, non inſolubiliter obliganda, ne aut laxa in vitium defluat, aut reſtricta etiam ab utilitate torpeſcat.* Sene. lib. 3. contro. *Ajebat Scaurus rem veram, minus magnam virtutem eſſe ſcire dicere, quàm ſcire deſinere.* Ab hac virtute diſſentit infantia, qua quis neq; proferre aliq́d poteſt cũ opus eſt, nec reſpõdere. Deinde diſſentit garrulitas, qua quis loquacitate ſua aliorũ ſermones interrũpit, nec aliis loquendi locum concedit.

De taciturnitate necessaria.

CAP. X.

Taciturnitas necessaria est taciturnitas, qua sine contemptu Dei, & publici boni cognita nobiscum retinemus, ne in perniciem alicujus divulgentur.

Fridericus Imperator duo maximè in consiliariis suis, cum ad publicas, consultationes ventum est, requisivit: simulationem scilicet, & dissimulationem, ut silentio possent obruere, quæ plus justo principum animos exulcerant, & à moderatis consiliis abducunt.

Anaxarchus Abderites cum crudelissimè torqueretur à Nicreone, ut proderet amicos; sibi ipsi præcidit linguam & dentibus comminutam in faciem, tyranni expuit, ne tormentis exquisitis victus noceret amicis.

Q. Metellus cum proconsul bellum in Hispania aduersus Celtiberos gereret, urbémque Trebiam caput ejus gentis viribus expugnare non posset; fugam simulando magnis itineribus hinc inde vagabatur. Interrogatus a quodam ex intimis suis quid vellet hoc dubio belli genere, respondit: Desiste istud quærere. nam si hujus consilii mei interiorem tunicam consciam esse sensero; continuo eam cremari jubebo. Hoc consilio cum hostes suos securos reddidisset; subito Trebiam repetit, eamq́; nihil tale opinantem opprimit.

Pompejus

Pompejus legatus missus in Asiam à Gentio rege captus, & ut secreta populi Romani proderet jussus fuit. Pompejus hæc recusat, & ut Gentius deprehenderet Pompejum nec tormentis cogi posse, ut proditor patriæ existat, candenti lychno digitum insertum Pompejus vehementer adurit. Gentius videns ejus patientiam & taciturnitatem, pace cum Romanis facta illum dimittit.

Rahab intelligens Deum Cananæos dedisse in manum Israëlitarum, exploratores eorum non tantum hospitio excipit, sed etiam præsentiam eorum tacet, dum fingit eos ante adventum regiorum satellitum abiisse.

Papyrius Prætextatus adolescens cùm à patre duceretur in curiam, in eáque fortè arcana quædam tractarentur, domum reversus, interrogatúsque à matre quidnam in Senatu actum; Ut duæ, inquit, uni nubere possint. At illa manè convocatis matronis ad curiam properat, rogan q; ut eadem lege viros duos habendi licentia sit fœminis. Recognita ingenium, & taciturnitas adolescentis laudata est.

Hujus virtutis proprium est, cohibere linguam, ne semina contentionum & periculorum spargantur, & ne quis garrulitate lædatur, vel impediatur. Publicis enim negotiis admodum sæpe nocet garrulitas, nec minus in privatis sæpe est molesta: ut apud Græcos Areopagitis nefas fuerit, de actis in Areopago quid divulgare, & in conviviis per seniores

convivæ admoniti ſint, ne verbum extra fores tranſire paterentur, odióque proſecuti ſint memorem compotorem. In hac vero taciturnitate duæ reſtrictiones admodum neceſſarię adduntur. Prima eſt, ut taciturnitas non ſit conjuncta cum contemptu Dei. Hujus enim gloria, & voluntas nobis præ reliquis omnibus debet eſſe commendatiſſima, nihil antiquius, nihil ſanctius ducamus. Et ſi inſerviendum eſt amicis uſque ad aram; non quoque tacendum eſſe ultra pietatis aram exiſtimemus. Altera eſt, ut taciturnitate nihil fiat contra publicum bonum. Hoc enim quantoperè afficiat optimum quemque, teſtantur nobiliſſimi homines paſſim in hiſtoriis celebrati, qui nec vitam nec ullam felicitatem reipublicæ commodis præferre maluerunt. Incidit autem nonnunquam ejuſmodi tempus, ut contemptus Dei cum contemptu boni publici pugnet, alterque alterum ſupprimere, & tollere nitatur. quod cum accidit; à partibus Dei ſtandum eſt, & ut hic non lædatur tacendum ſæpe eſt neglecto etiam publico bono. De hac virtute Proverb. 11. *Qui ambulat fraudulenter revelat arcana: Qui autem fidelis eſt celat amici commiſſum.* Syr. 27. *Qui denudat arcana amicifidem perdit, & non inveniet amicum ad animum ſuum.* Valer. Max. lib. 2. *Taciturnitas optimum eſt, & tutiſſimum rerum gerendarum vinculum.* Thales Mileſius; *Quod facturus es*

ne

ne prædixeris. Frustratus enim spe irrideberis. Periand. *Infortunium tuum celato, ne gaudio afficias inimicos.* Plutarch. in Apoph. *Silentii tutum præmium.* Horat.lib. I. Epist.

---Ne fidos inter amicos
Sit, qui dicta foras eliminet. Ibid.
Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet
Plus dapis, & rixæ multo minus, invidiæq;.

Ab hac virtute aliena est ἐχεμυθία, quæ trunco magis, quàm homini conveniens nihil de cognitis profert perpetuo silentio delectata. Deinde aliena est garrulitas, quæ facilius ignitum carbonem, quàm arcanum sermonem in ore continere potest, & nihil non prodit.

De virtute vocali.

CAP. XI.

Adhuc taciturnitas fuit: sequitur virtus vocalis.

Virtus vocalis est virtus propria, qua incontaminata mentis sensa suaviter, & oportunè divulgamus.

Estque veracitas, aut candor, aut humanitas, aut urbanitas.

Amyclas silentium perdidisse proverbio notum est, quo monemur, laudandam quidem, & colendam esse taciturnitatem, sed ita, ut cum opus est, & loqui sciamus. quod Euri-

pides quoque confirmat, dum ait: ἢ λέγε τι σιγῆς κρεῖττον, ἢ σιγὴν ἔχε, *aut dic aliquid ſilentio melius, aut tace.* In iis igitur, quæ proferri debent primo obſervandum eſt ſubjectum, ut ſint incontaminata mentis ſenſa, quæ in medium afferuntur. Cum enim ſermo ſit character animi, mentiſque quandam malitiam, aut labem prodant quæ vel impia, vel ſpurca, & obſcœna, vel avara, vel iniqua dicuntur, bonum virum etiam non mediocriter deformant, rectéque ductu hujus virtutis devitantur. Nec minus hîc requiritur, ut cum aliorum turpia, & obſcœna facinora recitanda ſunt, convenienti moderatione, & brevitate id fiat, piiſque, & caſtis auribus, quàm maximè fieri poteſt, parcatur. Secundo notandum eſt adjunctum effecto appoſitum, ut ſcilicet ſuaviter divulgemus ea, quæ ſunt in publicum edenda. Hæc autem ſuavitas duo complectitur. Primum eſt, ut vox ſit diſtincta. Non enim ſuavis, & grata eſt, ſi verba nimia celeritate effuſa inter ſe confunduntur, aut æquali cõtentione pronuntiantur. Alterum eſt, ut vox ſit moderata, interque clamorem, & murmur affectibus exprimendis accommodata. Tertio ſimiliter adjunctum effecto additum conſiderari debet, ut ſcilicet oportunè, quæ efferenda ſunt divulgemus. Hæc autem oportunitas àd taciturnitatem ſpectat, & ſignificat, huic virtuti locum eſſe factum, cum jam illa ſuo officio ſa-

tis est functa, neque ulterius negotium tacendo honestè confici potest. Ulterius ostenditur hoc adjuncto, ut non tantum de apto orationis nostræ exordio simus soliciti sed etiam, ut ante motam nauseam loqui desinamus. Etenim importunè loquitur, qui orationis finem nescit, quod & Eobanus ex Euripide docet:

Optimus est homini linguæ thesaurus, & ingens
Gratia, si parcis mensurat singula verbis.

Monstratur etiam hoc adjuncto sæpe materiam dicendi incontaminatam, & satis honestam esse, sed tamen vel temporis, vel loci ratione, vel propter alias circumstantias minimè convenire, vt tum proferatur: ut cum quis tractationi sacrorum admiscet politica, vel œconomica negotia: aut si quis in publicis congressibus honestis posteris pręsentibus reprehendenda majorum facta recitat: aut si quis lęta miscet tristib. quæ magis ad exulceratione͂ animorum, quàm ad sedandum luctum conducunt. Hæc & similia importunè magis, quàm oportunè dicuntur, quæ in loco prolata improbari non possent, cúmque hoc modo non quidem per se, sed per accidens reprehensionem rectè judicantium incurrant; rectæ rationis judicio taciturnitate obruenda non divulganda censentur. Quantum sit situm in oportunitate docet Pindarus in Pythiis. ὁ δὲ καιρὸς ὁμοίως παντὸς ἔχει κορυφάν. *Tempus pariter in omni re fastigium obtinet.* Erasmus in

adagiis ſub proverb. Noſce tempus, monet, tantam vim habere oportunitatem, ut ex honeſto inhoneſtum, ex damno lucrum, ex voluptate moleſtiam, & beneficio maleficium faciat, & contra; breviterque rerum omnium naturam permutet. Proverb. 15. *Lætatur homo in ſententia oris ſui & ſermo oportunus eſt optimus.*

De veracitate.

CAP. XII.

Veracitas eſt virtus vocalis, qua rem ſicut ſeſe perfectè habet, efferimus.

Jethro ſacerdos, cum vidiſſet moleſtias, & laborem, quæ perferebat Moyſes in audiendis cauſſis populi Iſraëlitici, admonet illum, ut ſibi adjungat judices honeſtatis, pietatis, & veritatis amantes, hoſteſq; avaritiæ.

Pythagoras dicere ſolitus eſt, duo eſſe inprimis, quæ à Diis tanquam ſplendidum, & ſuaviſſimum congiarium hominibus conceſſa eſſent: nempe veritatem amare, & beneficum eſſe; & quod his quàm proximè ad Deorum naturam poſſent accedere.

Epaminondas tam ſtudioſus veritatis fuiſſe dicitur, ut nec per jocum unquam mendacium dixerit.

Titus Pomponius Atticus nobilis Romanus, & Ciceronis intimus adeo ſtuduit veritati, ut

nec

nec mendacium audire potuerit, & maximè hoc nomine ab amicis cultus sit.

Quod Salomon rex Israëlis veritate sese oblectarit, non obscurè prodit, dum Proverb. 6. sic ait: Sermo veritatis nunquam confunditur, sed lingua fallax facile.

Quod Persæ veritatis amantissimi fuerunt, hinc colligi potest, quod ter deprehenso in mendacio silentium perpetuum imponebant; & ab omnibus politicis, & honestis negotiis talem repudiabant. Iidem in institutione liberorum hoc inprimis observari voluerunt, ut assuescerent veritati, & à mendacio sibi caverent. Poena mendacibus a Persis irrogata.

Demonax Philosophus inprimis celebratur, quod veritatis amantissimus fuit.

Artaxerxes rex Persarum tanto mendacium odio persecutus est, ut trisulco clavo linguas mentientium affigi curaverit.

Micha Propheta cum admonitus esset ab Achabo, ut vera diceret; ordine recenset, quomodo sibi Deus interitum Achabi ostenderit.

In hac virtute præcipitur, ut non aliter pronuntiemus ac res est. quod ut rectius fieri possit Dialecticæ præceptis obtemperandum est, quæ eruditè necessaria à contingentibus distinguunt, quorum illa cum sint ejusmodi, ut veritas eorum non mutetur; affirmari quoq; absque errore possunt. Hæc vero cum mutabilia sint; veritatis studiosus non sine peccato ea proferre potest, nisi id fiat adjecto suæ o-

pinionis judicio, qđ his, & similibus formulis exprimitur: Quantum mihi de hac re constat: ut ego conjicio: ut mihi videtur: quantum ego assequor, aut intelligo. Hanc contingentium naturam imitantur ea, quæ quidem absolutè vera sunt, nobis tamen parum adhuc cognita, vel difficiliora, quàm ut satis à nobis intelligãtur, iisdemque opinionis formulis tutissimè efferri possunt. Hæc quidem virtus odium vulgo putatur parere, sed tamen inter veros amicos nihil veritate jucundius, aut gratius est, si modo asperitas agrestis, & inconcinna gravitas absit. & rectè Cicero in sermone de amicitia sentit: *Molesta veritas est, siquidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiæ. Sed obsequium multo molestius, quod peccatis indulgens præcipitem amicum ferri sinit. Maxima autem culpa in eo est, qui & veritatem aspernatur, & in fraudem obsequio impellitur.* De hac virtute Proverb. 12. *Labium veritatis firmum erit in perpetuum.* Cic. pro Cœlio. *O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam contraq; fictas omnium insidias facilè seipsam defendit.* Senec. in Epist. *Etiam sine ratione ipsa veritas ducit.* Ibid. *Veritas in omnem partem sui semper eadem est.* Ibid. *Veritatis una vis, una facies est.* Eurip. in Phœn.

Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ,
κοὐ ποικίλων δεῖ τ' ἔνδιχ' ἑρμηνευμάτων.
ἔχει γὰρ αὐτὴ καιρόν. ὁ δ' ἄδικος λόγος

Νοσῶν

Νοσῶν ἐν αὑτῷ φαρμάκων δεῖται σοφῶν.

Simplex oratio veritatis esse suevit,
Nec vafris eget ambagibus interpretum:
Siquidem ipsa per se congruit. at sermo iniquus
Morbidus per se medicamentis indiget exquisitis.

Regula est: *Melius est pro veritate pati supplicium quàm pro adulatione beneficium.* P. Mimus: *Nimium altercando veritas amittitur.* Sene. in Troa. *Veritas nunquam latet.* Huic virtuti adversatur mendacium, quo longè aliter, quàm sese habet, res profertur.

De candore.

CAP. XIII.

Candor est virtus vocalis, qua illud ipsum, quod rectè à nobis acceptum, & judicatum est, ingenuè efferimus.

Germani non sunt felices in simulando. Sunt enim candidi & aperti.

Carolus Quintus Imperator, cum in comitiis Wormatiensibus intimi ejus consiliarii, & inter hos Episcopus Palermi D. Modo suaderent, ut D. Martinus Lutherus jam præsens clam tolleretur contra fidem publicam datam, quod Imperator non teneretur, ut fidem hæretico datam præstaret, & allegarent exemplum Sigismundi Imperatoris, qui neglecto salvo conductu Johannem Hus comburi permisit; rectè judicavit decere Cæ-

saream majestatem promissis non ludere, sed, quod publica fide confirmatum est, sanctè observare, ne subditorum animi dubia, & fluxa fide exulcerati Imperatorem suos vocantem spernant, & se in ignominiam Cæsareæ majestatis subducant, aut se in perniciem ejusdem arment. Quod igitur dextrè judicavit, candidè & breviter sic protulit: Promissis standum est; Was man zusagt, das soll man halten.

Antoninus Bassianus Caracalla Imperator cum fratrem Getam in sinu matris interfecisset, Papinianum Jureconsultum jussit cædem istam, ut justam defendere. Sed Papinianus rectè judicans summos etiam Imperatores tyrannos esse, cum injustè suos trucidant; ingenuè respondit: Non tam facile esse cædem injustam defendere, quàm perpetrare.

Sigismundus Imperator ut ostenderet animum candoris amantem, colaphum infregit adulatori. Qui cum interrogaret, Cur me cædis? respondit Imperator, Cur me mordes?

Capnio ut declararet animum candoris amantem, dicere solitus est: eos, qui omnia temerè reprehendunt & carpunt, similes esse muscis, quæ omnia contaminant, & nihil prosunt.

Phœbus apud Ovidium 2. Metamor. cum Phaëthontem filium fideliter admonuisset, ut ab incepto periculosissimo abstineret, candoris sui documẽtum edit, ut Phaëthon deprehendat, nihil esse simulatum, sed ex intimis cordis penetralibus

bus verè prodiisse hoc consilium sic inquiens:

---Aspice vultus
Ecce meos, utinamq; oculos in pectore posses
Inserere, & patrias intus deprendere curas.

Cum Ser. Sulpitius Galba, & Aurelius Coss. in senatu contenderent, uter adversus Viriatum in Hispaniam mitteretur, ac magna inter P.C. dissensio esset, omnésq; Scipionem judicem expectarent; Neutrum, inquit, mihi mitti placet: alter nihil habet, alteri nihil sat est. & sic obtinuit, ut neuter in provinciam mitteretur.

P. Rutilius senator Romanus cum amico opem in caussa injusta denegasset, & ab hoc tanquam minimè fidelis amicus repudiaretur, rectè censuit amicis gratificandum esse vsque ad aram, & ingenuè respondit: Si mihi injusta recusanti succenses, & renuntias; ego quoque tibi injusta petenti irascor, tuámque amicitiam non magni facio.

Bileam, ut historia sacra docet, sentiens Deo placere, ut benedicat exercitui Israëlitico, neque gratia, neque promissis regiis adduci potest, ut maledicat Israëlitis, sed constanter, & apertè illis benè precatur.

Jonathan filius Saulis, ut est 1. Reg. 20. impium esse statuens insontem calumniis proscindere, ingenuè non sine summo periculo excusat Davidem ad patrem in illius necem intentissimum, & socios cædis undiq; conquirentem.

Mauritius Dux, & Elector Saxoniæ, ut

ostenderet animum candoris amantem, sibique displicere adulatorum perversa de vitiis principum judicia, de quodam assentatore dixit: Stercus domini sui comedit, ut canis.

Henricus Ferreus Comes de Holstein, cum diu fideliter Anglorum regi servivisset, ac perfidiam, & machinationes varias aulicorum expertus esset, tandem tutissimum ducens, ut se insidiis, & clandestinis molitionibus infidorum subduceret; regem præsentem sic alloquitur: Serenissime rex nũquam mihi persuasissem, me benè de tua maiestate, & regno Anglico meritum expulsum iri à canibus, sed tamen plurimis argumentis edoctus aulicos mihi esse infensissimos, omnesque mei calumniandi occasiones avidissimè arripere, consultissimum esse statuo mutare locum, & patriam repetere. Rex hisce auditis amplissimis promissis illum retinere studuit, sed impetrare nihil potuit.

Diogenes candoris amorem prodidit interrogatus, quodnam animal morsu maximè læderet. Sic enim respondit: Si de feris interrogas; obtrectator est. Si de mansuetis; adulator. Nam obtrectator præ se fert odium. Adulator sub specie amicitiæ multo lædit gravius.

Mnemon, qui auspiciis Darii contra Alexandrum bellum gerebat, militi gratiam multis convitiis Alexandrum proscindendo captanti respondit: Alo te ut fortiter in Alexandrum pugnes, non ut impudenter illi maledicas.

Franci imperio Orientis potiti sunt, sed non diu im-

imperarunt astutis levium ingeniorum artibus eversi, quod incertæ, dubiæque benevolentiæ fiducia nimium sese & aperirent, & crederent animo studióque alienissimis, ex suarum naturarum simplicitate, & rectitudine illorum subdola, & fraudulenta ingenia non rectè æstimantes.

Cum purpurati apud Sigismundum Imperatorem accusarent maledicentiam Germanicæ multitudinis, quæ suo principi passim obloqueretur, subridens respondit: An vobis grave videtur illos male loqui, cum nos male agamus?

Cardinalis quidam solitus est dicere de iis, qui loquuntur aliud, & aliud meditantur: Est vox Jacob, & manus Esau.

Cum Dionysius scripsisset tragœdias, exhibuit eas legendas Philoxeno poëtæ, cui cum non placerent, liberè id tyranno indicavit, ostenditque illi errata. Ille iratus jussit eum abducere in latomias, & post aliquot menses eum restituit, jussitque denuo, ut judicium suum de poëmate diceret, qui respondit, se non posse tot menda probare: & sic denuo in carcerem abductus est.

Etsi hæc virtus ad animum vulgo refertur; tamen cum justam mentis & linguæ copulationem requirat, & potissimum sermone deprehendatur; non ineptè inter virtutes vocales numeratur. Præcipitur autem primo omnium, ut aliorum dicta & facta dextrè accepta, & judicata sint, quod fit cum caussæ eorum, ex quibus omnis scientia oritur, probè

evolvuntur, & expenduntur. Multa enim sunt, quę prima fronte dura, aut iniqua videntur, quæ tamen cognitis caussis sæpe salubria, aut necessaria esse rectè judicantur. Sic multa sunt, quæ sub specie recti inconsideratis imponunt, sed fucus non difficulter ostenditur, cum caussæ considerantur. Secundum est, ut oratio cum recto mentis judicio congruat, neque aliud mente concipiatur, aliud verbis proferatur. De hac virtute Cicero in Epi. fam. *Ut quisq; est vir optimus; ita difficilimè esse alios improbos suspicatur.* P. Mimus: *Contumeliam nec fortis potest, nec ingenuus pati.* Ovid. 2. de Pont.

Candor in hoc ævo res intermortua penè.

Ab hac virtute longissime distat calumnia, quæ sinistrè quælibet accipit, & interpretatur. Deinde distat jactantia, quæ sua præter modum extollit, aliena nimis deprimit, & obscurat. Distat etiam simulatio, qua aliud dicitur, aliud mente occultatur. Tandem assentatio distat, qua perversè judicatur de aliis, aut aliter, quam judicatum est pronuntiatur, ídque tantum in aliorum gratiam.

De humanitate.

CAP. XIIII.

Humanitas est virtus vocalis, qua verbis

bis honestè officiosis, & amicis sine fuco utimur.

Joseph fratres suos perterritos humanissimis verbis recreat, sic inquiens: Accedite ad me, ego sum Joseph frater vester, quem venditum misistis in Ægyptum, nec vos maceretis cogitantes me vobis succensere, quod me vendidistis. Nam ut vitæ, & fortunis vestris consuleretur me Deus præmisit, ne fame consumeremini. Properate, & pergite ad patrem meum annuntiantes, hæc dicit Joseph filius tuus, Proficiscere ad me, nec patere, ut te quidquam retardetur, terram Iessen habitabis, mihiq; propinquus eris, tibi, tuisq; omnibus de necessarius prospiciam per quinque steriles annos adhuc restantes, ne cum tuis pereas. Ecce oculi vestri, & oculi fratris mei Benjaminis vident me coram loqui. Referte ad patrem meum omnia, quæ vidistis, meamq; gloriam, eumq; ad me præpropere adducite.

Laban servum Abrahami seniorem hospitio excepturus humanissimè alloquitur: Accede ad nos benedicte Domini, quid moraris in campo? locum paravi tibi, & tuis camelis. Audientes deinde conjugium Rebeccæ domini sui filio petentem, officiosissimè respondent: Hæc sunt à Domino, nec possumus quidquam tibi opponere, præsto est Rebecca, accipe eam, ut domini tui conjux sit juxta verbum Domini. Humanissimè tandem Rebeccam dimittunt propinqui benedicentes ei:

Soror nostra es, cresce in multa millia, & semen tuum portas inimicorum suorum possideat.

Cum Josua Rubenitas, Gadditas, & dimidiam tribum Manasses post captam terram Canaan humanissimè dimisisset, & venissent ad tumulos Jordanis in terram Canaan; ædificaverunt juxta Jordanem altare infinitæ magnitudinis. quo facto filios Israel valde offenderunt, ut bello istam impietatem, & idololatriam vindicare cogitaverint. Audita vero humanitatis & pietatis plena declaratione, vicissim humaniter respondent Israelitæ, & rem totam placidè componunt.

Abigail humanissima oratione Davidem vehementer commotum retrahit, ne totam ejus domum deleat, & perficit, ut abjecto consilio cruento humanissimè respondeat, & mortuo marito eam uxorem ducat.

Hac virtute adeo excelluit Maximilianus II. Imperator, ut infimum quemque non solum placidè audierit, sed etiam satis amicè responderit, & legitimam defensionem obtulerit, ut hanc ob causam humanissimus sit appellatus.

Augustus Imperator cum videret quendam trepidantem, dum supplicationem offert; bono animo eum esse jussit. Non enim decere Imperatores, ait, ut literas, & supplicationes suorum subditorum, velut leones, & elephanti cibum, cum periculo exhibentium excipiant.

M. Coriolanus cum injustè in exilium ejectus esset; adeo excanduit, ut dux Volscorum factus

ctus multa hostiliter ereptis aliquot urbibus in Romanos fecerit. Sed humanitate, & precibus matris delinitus in gratiam cum suis civibus rediit.

Alphonsus Arragonum rex solitus est dicere, canibus frendentibus projiciendum esse frustum panis; innuens humanitate placandos esse irritatos, aut iracundos, cum virulentia, & rixis sedari non possint.

Lacones prius sacrificare solebant musis, clementiæ, & amicitiæ, quàm bellum tentarent: tutius, & utilius esse statuentes humanitate, & mansuetudine hostes primo aggredi, quibus si nihil proficerent, honestiora, & feliciora arma se posse induere credebant.

Xerxes cum fratre Arimene de regno certans, cum sensisset hunc hostili animo adventare, præmissis muneribus per legatos sic eum alloquitur: His in præsentia te ornat frater tuus Xerxes, quod si rex fuerit declaratus; te secundum à rege pronuntiabit, & colet. Hac humanitate motus Arimenes, Xerxi cum rex crearetur, se subjecit, eiq; coronam imposuit.

Titus Vespasianus Imperator propter summam humanitatem, & alias virtutes plurimas dictus est Amor & deliciæ generis humani.

Salomon humanitatis amorem prodit, dum præcipit ut paterfamilias non sit leo in domo sua: Monet enim longè felicius humanitate, quam tyrannico rugitu familiam regi.

In deſcriptione hujus virtutis tria notanda ſunt. Primum eſt, ut verbis honeſtè officioſis utamur. Cum enim natura præſcribat, ut homo homini conſultum velit; maximoperè etiam hominem commendat, ſi promptum ſe, & facilem in promovendis aliis declarat. Hic probè obſervandum eſt, ut nihil, quod contra honeſtatem eſt, promittatur. Si quis enim vel amoris vehementia, vel ebrietate, vel avaritia, vel tali aliquo affectu impulſus alteri officium parum honeſtum defert; à rectæ rationis judicio longè aberrat, neque per ſapientiam, aut prudentiam tale factum probari poteſt. Quare etiam ſub virtutes morales referri non poteſt. Alterum eſt, ut amicis verbis utamur. Etſi enim quis in promittendis honeſtis officiis ſit ſatis prolixus, ſi non idem amicè loquitur; beluam magis, quàm hominem refert, magiſque terret, & perturbat eos, quàm ut ſuaviter afficiat, cum quibus converſatur. Tertium eſt, ut abſit fucus. Hic enim humanitati peſtiferum venenum affundit, ut parum, aut nihil ab adulatione differat, quæ tam tetrum, & noxium vitium eſt, ut Antiſthenes dixerit, tutius eſſe incidere in corvos, quàm adulatores. illi enim mortuos tantum; hi vero vivos devorēt. Sic Bion interrogatus quodnam pernicioſiſſimum animal eſſet, reſpondit: Si de feris percunctaris, tyrannus: ſi de mitibus, adulator. Deinde opponitur moroſitas, & virulentia,

quæ

quæ aliis molestè contradicit, & nihil nō cum indignatione loquitur. De humanitate Proverb. 15. *Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem. Lingua placabilis lignum vitæ; quæ autem immoderata est, conteret spiritum.* Proverb. 16. *Qui sapiens est corde, appellabitur prudens, & qui dulcis eloquio maiora reperiet.* Proverb. 25. *Patientia lenietur princeps, & lingua mollis confringet duritiam.* P. Mimus: *Pars beneficii est, quod petitur, si bellè neges.*

De urbanitate.

CAP. XV.

Urbanitas est virtus vocalis, qua concinnis, & honestis dicteriis ad hilaritatem excitandam in jucundioribus congressibus jocamur.

Cicero 2. de oratore Cæsarem commendat, quod inusitatum Romanis oratoribus leporem, & salem sit consecutus.

Ibid. Suavis autem, & sæpè vehementer utilis jocus & facetiæ, in quibus tu longè aliis mea sententia, Cæsar, excellis.

Paulo post: Inveni autem ridicula & salsa multa Græcorum. Nam & Siculi in eo genere, & Rhodii, & Byzantii, & præter cæteros Attici excellunt.

Et mox: Nam id, quod tu mihi tribuis Antoni,

Crasso est omnium sententia concedendum. Non enim ferè quisquam reperietur, præter hunc in utroq; genere leporis excellens. & illo, quod in perpetuitate sermonis, & hoc, quod in celeritate, atq; dicto est.

Ibidem: Ego vero ita fecissem, inquit Antonius, nisi interdum in hoc Crasso paulum inviderem. Nam esse quamvis facetum, atque salsum non nimis est per se invidendum. Sed cum omniũ sis venustissimus & urbanissimus; omnium gravissimum, & severissimum & esse, & videri, quod isti contigit uni, id mihi vix ferendum videbatur.

Legati Attici ad Philippum regem Macedonicum missi cum ipso dormiente ægrè moram ferrent, suámque impatientiam vultu significarent; Parmenio ante cubiculum stans ad illos dixit: Sinite eum paulisper dormire. Nam cum vos somno indulgeretis, ipse vigilavit. Ita salse risit eorum importunitatem, qui negligentia sua sub alienum imperium redacti erant.

Cum Tarento amisso arcem tamen Livius retinuisset, multaq; ex ea præclara prælia fecisset, & aliquot post annos Maximus id oppidum recepisset, rogarétque eum Salinator, ut meminisset opera sua se Tarentum recepisse; Quid ni, inquit, meminerim? nunquam ego recepissem, nisi tu perdidisses.

Cum premeretur Lucilius ab iis, qui à pecore ejus depasci agros publicos dicerent; Non est, inquit

quit Appius, Lucilii pecus illud, erratis; defendere Lucilium videbatur, ego liberum puto esse, qua lubet pascitur.

Malus quidam orator cum in epilogo misericordiam se movisse putaret, postquam assedit, rogavit Catulum, videreturne misericordiam movisse: Ac magnam quidem, inquit Catulus. Neminem enim puto esse tam durum, cui non oratio tua miseranda visa sit.

Cic. 2. de orat. Urbana quoque dissimulatio est. in hoc genere Fannius in Annalibus suis Africanum hunc Æmilianum dicit fuisse, & eum Græco verbo appellat εἴρωνα. Sed uti ferunt, qui melius hæc norunt, Socratem opinor in hac ironia dissimulantiáque longe lepore, & humanitate omnibus præstitisse.

Nasica cum ad poetam Ennium venisset, eiq́ ab hostio quærenti Ennium ancilla dixisset, domi non esse; Nasica sensit illam domini jussu dixisse, & illum intus esse. Paucis post diebus cum ad Nasicam venisset Ennius, & eum à janua quæreret; exclamat Nasica, se domi non esse. Tum Ennius, Quid? ego non cognosco vocem, inquit, tuam? hîc Nasica: Homo es impudens. ego cum te quærerem; ancillæ tuæ credidi te domi non esse, tu mihi non credis ipsi?

In bello quodam, quod contra Turcas gestum est, Episcopus quidam sic exercitum consolatus est: Charissimi fortissimique milites hodie vos viros præbete, & fortiter pugnate, mortem non re-

formidantes. Qui enim hodie fortiter occumbunt, vesperi suavissimam in cælo cœnam capient. Quamprimum autem milites prælium ineunt, vident se subducere Episcopum, & post principia latitare. Post pugnam milites se recreantes caussam invicem quærunt, quæ moverit episcopum, ut se subduceret, & cœnam cœlestem fugeret. Ad hæc nonnulli pro episcopo responderunt: Hodie sibi jejunium indixit, ideóque fugit occasionem, ne cogatur cum interfectis cœnare.

Eobanus cœnavit aliquando cum aliquot viris doctis, ex quibus unus cum esset ebrius, & quodammodo turpiter se gereret, sic ab Eobano breviter taxatus est: Num stultus es? Hoc ægrè ferens Eobano etiam stomachum movit. Postero die pœnitet eum sui facti, & ad Philippum accedit petens, ut Eobanum sibi reconciliet. Philippus facilis utrumq; ad jentaculum invitat, cúmque Eobanum placasset, alterum quoque accedere jubet, qui mox venit dicens: Domine Eobane appellasti me heri meo nomine, quod tunc non intellexi, jam vero intelligo, & gratias ago. Hoc joco res composita est.

Materfamilias, cuius filius ex Academia domum reversus erat, tria ova patri, & filio apposuit. Pater offensus tam tenui apparatu dicit: Num sufficient nobis tria ova? Filius volens ostentare ingenium pro matre respondet, sex ova adesse. Nam unum, & duo, & tria sex efficere. Pater ut sophisticam filii refutaret, & falsè ride-

ret,

ret, Benè, inquit, collocavi meam pecuniam, cum tam ingeniosum filium habeam: mihi igitur duo ova reservabo, matri tertium do, tu reliqua tria comedas.

In descriptione hujus virtutis primo requiruntur concinna dicteria. Qui enim ruditate, & rustica simplicitate dictorum gratiam apud alios quærit, suam magis stultitiam, quam urbanitatem prodit. Quod vero concinnum est, ut solertis ingenii inventum, non parum auditores recreat, & oblectat, rectæq; rationis judicio facilius approbatur. Hæc dicteria simul honesta esse debent. Ut enim rusticitas cum concinnitate pugnat; ita etiam dicacitas, scurrilitas, & id genus scommata cum honestate pugnant, nec bonum virum decent. Prohibentur etiam sub honestate quælibet obscœna, & ea, quæ cadere possunt in quos nolis, quæ quamvis sint bella, sunt tamen ipso genere scurrilia. Admittuntur vero lepidæ, & turpitudinis expertes historiolæ, joci, fabellæ, similitudines, & id genus alia, quæ hoc fine potissimum in medium afferri debent, ut depulsa tristitia frontem exporrigant, qui cõvenerunt. Cum enim, ut Proverb. 17. est, animus gaudens ætatem floridam faciat: spiritus vero tristis ossa exiccet; certè suam laudem merentur, qui alios urbanitate sua exhilarare, & suaviter recreare norunt, præsertim cum Deus ipse honestis gaudiis non offenda-

tur, quod poëta pulchrè expressit:

Non Deus est animus, cui rectæ gaudia mentis
Displiceant, si non pietas violatur, & æquum.

Hinc est quod Syracides cap. 30. præcipit: *Tristitiam non des animæ tuæ, & non affligas temet ipsum in consilio tuo; jucunditas cordis hæc est vita hominis, & thesaurus sine defectione sanctitatis, & exultatio viri est longævitas. Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine, & congrega cor tuum in sanctitate ejus, & tristitiam longè expelle à te. Multos enim occidit tristitia, & non est utilitas in illa.* Proverb. 15. *Cor gaudens exhilarat faciem, in mœrore animi dejicitur spiritus.* Sic Horat.

Tu quamcunque Deus tibi fortunaverit horam,
Grata sume manu, nec dulcia differ in annum.

Additur tandem descriptioni subjectum, hæc scilicet virtutem locum habere in jucundioribus congressibus, ex quibus principem locum sibi convivia vendicant, quod nomen Romanis placuit repudiatis Græcorum comessationibus, & concœnationibus. Rectè enim judicarunt in hisce congressibus non tam luxum, quàm moderatam lætitiam, & jucundos sermones requiri, nec gratam esse morosam taciturnitatem, quæ commorientibus, quàm convivis aptior est. *Sic Socrates apud Xenophontem in convivio quærit ex aliquo, quid sit se turpiter gerere in cõvivio, qui respondet: Quid sit illud non possum dicere, sed tamen quid mihi videatur proferam:*

feram:

feram: Est molestia, vel tristitia afficere convivas. Huic Socrates. Hoc tu facis: quia tacendo nobis omnibus es molestus. Bachilides quatuor in conviviis requirit. 1. modicum cibi, & potus apparatum. 2. suave colloquium. 3. veram convivarum benevolentiam. 4. bonum vinum. Syracides mutum convivium minimè probat cap. 32. *Gemmula, inquit, carbunculi in ornamento auri, & comparatio musicorum in convivio vini. Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi: sic numerus musicorum in jucundo, & moderato vino.* Deinde sunt congressus jucundiores, in quibus agitur de rebus, quæ neque odio magno, neque misericordia maxima dignæ sunt. Sales enim in tractatione rerum mediocrium ferri possunt, sed ut rarius, quàm in conviviis aspergantur. De hac virtute Cicero 2. de orat. *Tempus, ratio, & ipsius dicacitatis moderatio, & temperantia, & raritas dictorum distinguit oratorem a scurra.* Idem 1. offic. *Ludo autem, & joco uti illis quidem licet, sed sicut somno, & quietibus cæteris, tum cum gravibus, seriisq; rebus satisfecerimus.* Ibid. *Ut enim pueris non omnem licentiam ludendi damus, sed eam, quæ ab honestatis actionibus nõ sit aliena: sic in ipso joco aliquod probi ingenii lumen eluceat.* Horat. lib. 1. Epist.

---sine amore, jocisq;
Nil est jucundum.

Ab hac virtute discrepat rusticitas, quæ in jo- I.

2. cando tarda, & insulsa est. Deinde discrepat scurrilitas, quæ in jocando turpis, & obscœna
3. est. Tandem discrepat dicacitas, quæ in jocando mordax, & sæpe virulenta est.

De temperantia.

CAP. XVI.

Hactenus virtus vocalis fuit: sequitur temperantia.

Temperantia est virtus propria, qua abstinemus, ne factis nimiis nos obruamus.

Estq; modestia, aut frugalitas.

Ut in vulgari dicto: *Non sufficiunt verba ubi facto opus est*, dicta à factis distinguuntur: ita etiam virtutes, quæ in lingua potissimum conspiciuntur, ab his, quæ facto existunt, discernuntur. Et quoniam affectibus impulsi in excessu, vel in defectu sæpissimè peccamus; temperantia iam sequitur, quæ ab excessu nos revocat, ne ultra mediocritatis regulam factis nostris expatiemur, & ut in proverbio est, *ne quid nimis*, quod quo est difficilius, eo magis anniti debemus, ut intra modum in omnibus rebus optimum nos contineamus, quod poëta indicat:

Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit
Mœnia, nec virtus altius ire potest.

De

De modestia.

CAP. XVII.

Modestia est temperantia, qua nobis ipsis ita temperamus, ut luxum internum expellamus.

Estq; modestia suscipiens, aut modestia agens.

Sub definitione temperantiæ dictum est nimia facta, & excessum per illam corrigi, qui duplex occurrit, si habentem corrigere studes. Aut enim luxus internus est, aut externus. internus est in affectibus animi, quos modestia coercet, ne ruptis carceribus in apertum vitiorum campum prorumpant, & habentem turpiter deforment.

De modestia suscipiente.

CAP. XVIII.

Modestia suscipiens, quæ & αὐτάρκεια dicitur, est modestia, qua debita cura suscipimus ea, quæ cum laude gerere, & possidere possumus.

Abrahamus noluit ut donum accipere agrum Ephronis, sed soluto justo pretio eum sibi in sepulturam comparavit,

David aream Arafnæ petit, ut in ea sacrificaret, ut Deus placatus mitigaret, & tolleret sævissi-

mam pestem. quod cum audiisset Arafna; aream, & holocaustum Davidi obtulit. quod donum ut nimis amplum, sibiq; tum temporis minimè cōveniens repudiavit, nec quidquam de illo, nisi quod pretio persoluto suum fecisset, usurpare voluit.

Petrus in Actis cum sciret non posse vendi dona miraculorum; Simonem Magum simul cum pretio, quod pro illis donis promittebat, condemnat.

Moyses & Samuel sanctè testantur, se nec minimo munere corruptos perversè judicasse.

Adrianus Imperator in Syria ab exercitu Imperator nominatus scripsit ad senatum: se non accipere imperium, nisi & senatus id jussisset.

Socrates reprehendebatur à conjuge sua Xantippe, quod munera crebrius ab amicis missa non reciperet, cui respondet: Si indifferenter, quæcunque nobis mittuntur, jam accipimus, occasionem, & potestatem petendi necessaria nobis præcidimus.

Alphonsus rex Arragoniæ admonitus à Ludovico Podio; conduci posse quenquam duobus millibus coronatorum, qui igne naves in armamentario Venetiano extructas & reservatas consumeret, respondit, se nolle hujusmodi insidiis, sed potius fortitudine pugnare, aut prorsus quiescere. Idem cum adessent, qui se Franciscum Sfortiam ducem Mediolanensem interfecturos promitterent, cohibuit eos, his verbis: nunquam sibi victoriam placuisse, quæ ignominiæ notam victori posset

set inurere. Sic Rogerium comitem Pallantiæ fortem, & manibus promptum virum repressit cum recepisset, ut Iohannem regem Castellæ interficeret. Significavit enim non scelere, sed virtute gloriam quærendam esse.

Aristippus Philosophus corrigebatur, quod ab amicis pecuniam accipiebat. Sed respondit: se non avaritia aut necessitate inductum ita agere, sed ut potentioribus verum usum pecuniæ monstraret, ne plus in equos, ædificia, & luxum, quam in viros doctos, & benè de se meritos conferrent.

Cum Scipioni præstantia munera à rege Antiocho mitterentur, dicebat se velle ea ad tribunal excipere. quo cum deventum esset; curavit ea omnia in fiscum deferri, nec quidquam de iis in privatum usum convertere voluit, ut quæ non sibi, sed reipub. parta statueret.

Philippo rege Macedonico mortuo, & Demetrio sublato Perseus regnum adeptus est, & in Romanos grave bellum movit, devastatáque Thessalia bis eos fudit. Romani igitur, ut haberent præstantem, & acrem Imperatorem, quem Perseo opponerent, secundò crearunt consulem L. Æmilium Paulum, qui conciso, & protrito exercitu Perseum cum duobus filiis ex fuga retractum cepit, ingentiq; regis thesauro potitus est, unde militibus primò stipendium numeravit, quod reliquum fuit in ærarium Romanum retulit. De hoc Æmilio Plutarchus refert, eum non ultra 37. millia coronatorum possedisse, cum in fiscum

ultra quinquies centena millia coronatorum attulerit.

Olympias cum audiisset aulicum quendam admodum formosam, sed simul infamem duxisse, dixit: Hic certè non sapit, qui tantum oculis, & non auribus simul in contrahendo matrimonio obtemperat. Forma enim oculis cernitur, fama vero auribus deprehendi potest.

Piscatores in Græcia auream mensam reti céperant, de qua consultum est oraculum Apollinis, ut constaret cuinam deberetur. Oraculum respondet, dandam eam esse sapientissimo. Communi igitur deliberatione defertur ad Thaletem, qui eam Bianti misit. Bias modestè quoque de se sentiens ad Pittacum eam transmittit, qui similiter eandem ad alium ex septem sapientibus transferri curat. Tandem cum singuli ad se allatam remisissent; ad Solonem deventum est, qui quidem publica fama pro sapientissimo habebatur, sed tamen Apollinem longè sapientiorem sciens Deo istam consecravit.

Dionysius Syracusanus Damocli potentiam, opes, & apparatum regium plus nimio commendanti & sitienti, non esse huiusmodi à quolibet appetenda sic monstravit: mensam auro aliisq; pretiosis vasis magnificentissimè stravit, appositis epulis tam lautis, ut vel Deorum nectar, & ambrosiam superare viderentur. Damoclem deinde ad mensam collocavit, ut directè supra caput acutissimum gladium seta equina suspensum, & tremulum

mulum haberet, cúmque egregiè ob tantam felicitatem sibi placeret, fortè attollit oculos, ensemq́; sibi periculosissimè incumbere conspicit, qui tantum ei terrorem incussit, ut nec micam amplius degustare potuerit, nihilque magis exoptaverit, quàm ut tuto abire concederetur. Sic consternatione ista docuit non esse ea expetenda, quæ non cum laude gerere, & possidere possumus.

Philippus Cominæus autor est Mahometum Turcicum Imperatorem appropinquante morte nihil tam ægrè tulisse, quàm quod semel pecuniam imperans subditos suos nō contentus annuis tributis plus justo onerasset.

Bion rectè monuit non esse nimia petenda. Interrogatus enim, quis in vita molestissimis curis premeretur, respondit: Qui in rebus maximis cupit fortunatus esse. Hic enim infinitis curis ad summa contendit, & longè gravioribus deinde vigilat, ut quæ consecutus est in vigore possit retinere.

Casimirus dux Polonorum aliquando cum aulico quodam recreationis gratia lusit, sed præter opinionem accidit, ut spe lucri ad summam noctem lusum continuaverint, ubi tādem somno, & tædio persuasi omnem pecuniam, quam præsentem habebant, exponunt, ut qui semel favente fortuna vinceret illam totam obtineret. Casimirus arte, & fortuna nobilem superans nummos ad se rapit, & dum in loculos vult recondere nobilis ingenti ira percitus colaphum duci infligit,

& noctis beneficio evadit. Altera vero die capitur, cúmq; omnes clamarent capitale eum facinus hac sua petulantia commisisse, respondit dux minimè eum supplicio dignum esse, qui tanta jactura perturbatus inconsideratè peccaverit; se magis reprehensione dignum esse, quod oblitus conditionis, & autoritatis suæ illum ad aleam allexerit, nec se tantum nobilem à pœna liberare, sed insuper gratias agere, quod hoc colapho sit admonitus ne quid posthac principe indignum committeret; neve lusibus, aliisque levibus rebus tantum temporis impendat, aut in hisce sumptus faciat.

Darius cum aliquando censum ageret, & ex consiliariis quæreret, num etiam subditi tantam pecuniæ summam sine difficultate dare possent, atque hi responderent posse eos benè ferre istas exactiones; modestè secum reputavit, non esse boni principis, nec facere ad regni stabilitatem subditorũ animos nimiis exactionibus exulcerare, sibique infestos reddere, & ita dimidiam partem dictæ summæ remisit, suosq; subditos iterum sibi reconciliavit.

Æmilius Rectus cum reprehẽderetur à Tyberio Cæsare, quod Ægyptũ minus tributis onerasset, rescripsit: se tonderi velle suas oves, non deglubi.

Anaxilaus interrogatus, quid regno maximè prodesset, respondit; non vinci muneribus.

Fridericus tertius Imperator cum Ladislaum regem Hungarorum, & Bojemorum educaret; nonnulli suadebant, ut clam tolleret adolescen-

tem

tem regem, qui excedens ex ephebis gravis imperio, & opibus Cæsaris esse posset. Sed Imperator ad hæc violenta consilia respondit: video vos magis esse solicitos, ut potentem, & opulentum quàm justum & modestum Cæsarem habeatis: Ego vero justitiam, & honestam famam omnibus regnis, & opibus, quæ non justè acquirere, & possidere possum, antepono.

Hæc virtus in suscipiendis negotiis lucet, nec parum conducit ad vitæ humanæ tranquillitatem, & felicitatem. Si quis enim non cœco & violento affectuum impetu raperetur, sed virtute Dianoëtica probè exploraret, quid cum laude gerere, & possidere posset; superiores non tam sordidè, tantáque stemmatis, & autoritatis suæ labe negotia inferiorum tractarent, avitámque virtutem turpissimo quæstu conspurcarent: nec inferiores audacter perruptis vocationis suæ cancellis in superiores impetum facerent, eósque tot bellis, & insidiis peterent. Sed ferendum est in hoc ferreo seculo, ut Vespasianus cum suo lotio generosis, & illustribus viris se immisceat, & sceleratissimus Catilina legitimum suum magistratum oppugnet, donec uterque conspicuo vindictæ divinæ exemplo doceat, nullas opes, nullos honores, nulla regna stabilia, & posteris utilia esse, quæ non à Deo legitimis mediis offeruntur. Qui igitur huic virtuti student, diligenter volvant quibus caussis adducti, qui-

búsve mediis adjuti, quæ ſit natura, & conditio rei, cujus denique gratia rem ſuſcipiant, & ſi nihil contra honeſtatem fit; tuto gerere, & poſſidere poſſunt quod defertur. Sin minus vel Pactoli opes, aut Alexandri regnum abjiciant. Bellum enim, quod primo inexpertis dulce eſt, exitium certiſſimum expertis afferet. De hac virtute Proverb. 23. *Noli laborare, ut diteris, ſed prudentiæ tuæ pone modum. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere; quia facient ſibi pennas quaſi aquilæ, & volabunt in cœlum.* Cic. 1. Acad. *Hæc una omnis ſapientia Socratis, non arbitrari ſeſe ſcire, quod neſciat.* Cic. de Senec. *Contentum ſuis rebus eſſe maximæ ſunt, certiſſimæq́ divitiæ.* Senec. lib. 3. de bene; *Hoc eſt regnum, nolle regnare cum poſſis.* Sen. in Epiſt. *Cui cum paupertate bene convenit, dives eſt.* Ibid. *Breviſſima ad divitias per contemptum divitiarum via eſt.* Senec. lib. de mori. *Maxima divitiæ non deſiderare divitias.* Livi. lib. 4. Deca. 5. *Eum qui de ſua unius ſententia omnia gerat ſuperbum judico, magis quàm ſapientem.* Valer. Max. lib. 4. *Omnia nimirum habet, qui nihil concupiſcit.* Cic. *Optimè cum hominibus ageretur, ſi parvo poſſent eſſe contenti.* P. Mimus ex Cato.

Damnum appellandum eſt cum mala fama lucrum. Idem:

Effugere cupiditatem regnum eſt vincere.

Senec. in Thyeſte.

Nec

Nec abnuendum si dat Imperium Deus
Nec appetendum. Sen.in Troa.
Minimum decet libere, cui multum licet.

Horat.lib.1.Epist.
Quod satis est, cui contingit, nihil amplius optet. Ovid.in Epist.Hele.ad Pari.
Est virtus placitis abstinuisse bonis.

Ovid.2.metam.
--Medio tutissimus ibis. Auson.
Quis dives? qui nil cupiet. quis pauper? avarus.

Horat.2.lib.Carm.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.

Ovid.3.Trist.eleg.4.
Usibus edocto si quicquam credis amico
Vive tibi & longe nomina magna fuge.
~~*Vive tibi, quantumq; potes prælustria vita,*~~
~~*Sævum prælustris fulmen ab arce venit.*~~
Quid fuit ut tutas agitaret Dædalus alas,
Icarus immensas nomine signet aquas?
Nempe quod hic alte, demissius ille volabat,
Nam pennas ambo non habuere suas.
Crede mihi benè qui latuit, bene vixit, & intra
Fortunam debet quisq; manere suam.

Lucanus lib. 1. expetentes nimia sic revocat:
Invida fatorum series, summisq; negatum
Stare diu.

Virgil.2.Georg.

---Laudato ingentia rura
Exiguum colito.---

1. curiositas. Cum hac virtute pugnat curiositas, quæ sese alienis negotiis absque ulla vocatione ingerit. 2. Ambitio. Deinde pugnat ambitio, quę suam stationem, ut contemtam, respuit, & altiora sine legitimis mediis indesinenter sitit. 3. Avaritia. Tandem avaritia pugnat, quæ opibus ita inhiat, ut lucro etiam infami delectetur. Ex altera parte pugnat pusillanimitas, quæ obruit alicujus dona, & retrahit eum, ne legitimè ad altiora vocatus insigniorem ecclesiæ, & reipublicæ operam navet.

De modestia agente.

CAP. XIX.

Modestia agens est modestia, qua decenter moderamur affectum, quo rem susceptam exequimur.

Estq; mansuetudo, aut humilitas, aut sobrietas, aut Pudicitia.

Etsi quælibet virtus per se quidem perfecta est; tamen usu ita sunt conjunctæ, ut non una, atq; altera virtus, sed harmonia omnium virtutum virum omnibus numeris absolutum reddat. Quare etiam modestia suscipiens una quidem ex præcipuis virtutibus est, sed tamen imperfectam laudem meretur, qui non bene absolvit id, quod benè est susceptum. Hoc nomine

mine succedit hæc virtus, & modum laudabilem in expediendo negotio observat, affectúmque, qui in executione rei susceptæ dominatur, decenter moderatur, ut rectæ rationis actiones nō possit perturbare. Nihil enim inter virtutes decet, nisi quod cum recta consentit ratione.

De mansuetudine.

Cap. X X.

Mansuetudo est modestia agens, qua tantisper placidi sumus, donec delictum gravius iram, & pœnam efflagitat.

Scipio præstantissimus dux Romanorum ab adversariis suis exagitatus in prædia sua discessit his verbis: O ingrata Patria, ne quidem ossa mea habebis. Et licet fortitudine bellica suorū adversariorum conatus frangere, & elidere potuisset, maluit tamen seipsum mansuetudine superare, quàm bellum intestinum in perniciem patriæ movere.

Sigismundus Imperator beatos futuros reges, & principes censuit, si exclusis à gubernatione fastuosis mansuetudinis, gravitatisq; cultores in curiam asciscerent.

Ferdinandus, Maximilianus secundus, & Rudolphus secundus Imperatores hac virtute adeo excellunt, ut licet in imperii solio constituti

fuerint, facésque, & tubas bellorum habuerint amplissimis promissis incitati; maluerunt tamen animorum heroica moderatione, pacéque publica in imperio conservata, quàm bellis plurimis gestis inclárescere.

Jason Phereus ad Thebanos veniens hortator fuit eis, ne dimicarent cum Lacedæmoniis, qui irritati nunc & cautiores, & firmiores futuri essent. Et cum utrisque dissuaderet prælium perfecit, ut certis conditionibus pacem fecerint.

Antoninus Pius Imperator sine civili sanguine fuit, nemini bellum intulit, sed inferentes repressit. Sæpe repetivit dictum Scipionis, se malle unum civem servare, quàm mille hostes occidere. Ingressus in domum amici, cum ibi vidisset porphyreticas columnas; interrogavit unde allatæ essent. respondit paterfamilias: in aliena domo surdum & mutum esse decet. Hanc libertatem Imperator placidè tulit.

Lycurgus Lacedæmoniorum legislator interrogatus à suis civibus, qua ratione suis hostibus resistere possent, respondit: Si pauperes manseritis, & contentiones mutuas deposueritis. Sic indicavit avaritiam, & pacis odium certissimam pestem civitatibus afferre.

Alphonsus rex Arragoniæ cum Venetis, & Florentinis pacem petentibus sese facilem præbuisset, ægrè id ferebant belli duces prætendentes hac occasione res magnas potuisse geri. Sed his respondit rex: optimi duces, non minus mihi, quàm vobis

bis curæ fuit, ut de victis hostibus victoriam reportarem, quæ quo minus cruenta est, eo gratior etiam mihi solet accidere, cumque hostes mei pacem flagitent, victos se declarant, ut non opus sit dubia, & ancipiti belli fortuna gloriam quærere, quæ ad nos sponte, & sine periculo pervenit.

Hujus virtutis laudem Virgilius Romanis attribuit hoc versu:

---Romane memento
Parcere subjectis, & debellare superbos.

Fridericus Barbarossa Imperator patriæ amantissimus sub initium sui imperii nihil prius habuit, quàm ut vulnera concussæ, & duriter quassatæ Germaniæ sine publico motu non tam bello, quàm mansuetis consiliis sanaret. Controversias igitur inter Henricum Austriacum vitricum, & privignum Henricum Leonem Saxonem de principatu Bavariæ ortas moderata damnorum exæquatione, & sancita ἀμνηςία diremit, ut principum animi mutua, & vera benevolentia coalescerent, istiusmodi consiliis pericula ex Guelpho, & Conrado ejus fratre impendentia sustulit, dum illum Thuscia, & Spoletano agro, Sardiniæq; principatu donavit; hunc vero Palatinum Rheni constituit. Suenonem Canutum, & Woldemarum reges Danicos de regno magno cum periculo, & detrimento vicinarum terrarum, quæ erant imperii, dimicantes certis conditionibus reconciliavit, & societate, atque amicitia Germaniæ devinxit.

Fridericus Austriacus cum Ludovico Bavaro de imperio certans magnum exercitum ad Argentorati viciniam adducit, ubi dissensio erat inter Episcopum, & cives. Episcopus Austriaco se adjunxerat, cives Ludovico favebant, qui ne suis deesset, ducit & ipse exercitum in loca vicina castris hostium, ubi, quia duces utrinque nolebant haurire cognatum sanguinem, & superiori prælio ad Eslingam facto edocti Cadmeam victoriam metuebant; neutra pars ad dimicandum properabat. In his quasi induciis colloquuntur etiam multi inter se ex utraque parte de pace, & de conjugiis deliberant. Sed Ludovicus alienus a cruenta victoria, & mutua civium laniena, nec tutum existimans temerè summam rei unius diei prælio committere, etsi provocaretur cõfirmatis suorum animis, Argentorato exercitum abducit per saltũ Haganoënsem, & civitates ad Rhenum munit præsidiis. Vir magnanimus fuit, & justus miniméque lentus suorum defensor, nemini tamen unquam bellum intulit, sed inferentes armis depulit.

Post mortem Ladislai regis Hungariæ non nulli ex proceribus Pannoniæ expetiverunt Fridericũ tertium Imperatorẽ. Major pars annitente Micaelo Zilagio suæ gentis hominẽ Matthiam Hunniadem, quanquam novum, & humili stirpe natum, atque eo tempore captivum prætulit. Hoc postquam regnum esset adeptus repetente coronam regiam Friderico restitutionem detrectante, qui eam cum Ladislao acceptam de manibus

nibus Elisabethæ matris eo usque apud se retinuerat, ad arma deventum est, quæ arrepta potius, quàm usurpata cito posuerunt intercessione principum Germaniæ lite composita, ut coronam à Friderico Matthias octoginta millibus aureorum nummum redimeret.

Mansuetudinis & Nemesis exemplum est in lege quæ est in Suevicis urbibus, ut, si in rixa aliqui gladios strinxerint, ac vel puer, vel mulier, cula procul etiam inclamans pacem imperet, capite puniatur, qui audito nomine pacis insuper ferire audet.

Rectè à Cicerone 1. officiorum dictum est, Cum ira nihil recte fieri, nihil considerate potest. Etenim tam potens est hic affectus, ut plurimi sint, qui urbes, qui provincias, qui populos, paucissimi, qui seipsos in potestate habuerint, longéque difficilius sit seipsum, quàm oppida fortissima vincere, & ut Achilles præstantissimus dux apud Homerum divinitus hoc versu admonitus: vince animos irámque tuam, qui cætera vincis, vix sese cohibuerit. Admodum igitur necessaria est hæc virtus præsertim iis, qui potentia armati biliosis motibus ad tyrannidem facilè impelli possunt. Etsi autem iram è rerum natura non tollit, tamen eam ita refrenat, ut huic non nisi in gravioribus delictis locum concedat: Suntq; potissimum grauiora delicta, quæ non à caussis suis efficientibus, & sine quandam excusatio-

nem nanciſcuntur: hæc ſi iram & pœnam flagitant in manſuetudinis locum juſtitia diſtributiva ſuccedit, iraque & pœnis adverſus delinquentes rectè utitur. De hac virtute Proverb. 19. *Sicut fremitus leonis, ita & regis ira: & ſicut ros ſuper herbam, ita & hilaritas ejus.* Proverb. 16. *In hilaritate vultus regis vita, & clementia ejus quaſi imber ſerotinus.* Senec. lib. 2. de ira. *Maximum remedium eſt iræ mora.* Idem lib. 3. de ira. *Non vis eſſe iracundus? non ſis curioſus.* P. Mimus: *Bis vincit, qui ſe vincit in victoria.* Idem: *Bonum ad virum cito moritur iracundia.* Idem: *Conſilio melius vincas, quam iracundia.* Idem: *Fulmen eſt ubi cum poteſtate habitat iracundia.* Idem: *Iracundiam qui vincit, hoſtem ſuperat maximum.* Idem: *Regibus eſt ex manſuetudine certior ſecuritas.* Terent. in Adel.

Facilitate nihil homini melius neq; clementia.

Ovid. lib. 3. de arte aman.

Candida pax homines trux decet ira feras.

Ibidem:

Scilicet ingenium placida mollitur ab arte
Et ſtudio mores convenienter eunt.

Idem in Metamorph.

Hæc docet ut pœnis hominũ, vel ſanguine paſci
Turpe ferumq; putes, ut ferrum Marte cruentũ
Sic cum pace premas, ut non infenſus alendis
Materiam præſtes odiis, ut ſontibus ultro
Ignoviſſe velis, deponas ocyus iram

Quam

Quàm moveas, precibus nunquam implacabilis obstes
Obvia prosternas, prostrataq; more leonum
Despicias, alacres ardent cum sternere tauros
Transiliunt prædas humiles: hac ipse magistra
Da veniam victis, hac exhortante calores
Horrificos, & quæ nunquam nocitura timentur
Jurgia contentus solo terrore coerce
Ætherei patris exemplo, qui cuncta sonoro
Concutiens tonitru Cyclopum spicula differt
In scopulos, & monstra maris, nostriq; cruoris
Parcus in Oeteis exercet fulmina sylvis.

Senec. *Nihil magnum, quod non est placidum.* Cic. 1. offic. *Nihil enim laudabilius, nihil magno, & præclaro viro dignius placabilitate, & clementia.* Plautus in Trinum: *Qui animum vincunt, quam quos animus, semper probiores.* Huic virtuti opponitur iracundia, quæ intempestivè, & immodicè movetur iis rebus, quæ leviores sunt, quam ut iram, aut pœnam requirant. Et numerantur ab Aristotele 4. Ethic. cap. 5. quatuor species iracundorum. Aut enim sunt iracundi ὀργίλοι, qui cito quidem irascuntur, sed cito etiam placantur. Aut sunt biliosi ἀκρόχολοι, qui tam proni sunt ad iram, ut cuilibet ob quidlibet etiam irascantur, hique cum præcedentibus iram leviorem gerunt. Aut sunt acerbi πικροὶ, qui præ nimia ira fremunt, & implacabiles sunt, donec iram suam in adversarium suum evomuerunt. Aut sunt

sævi χαλεποὶ, qui tantò iræ æstu fervent, ut belluino more ultionem quærant, nec prius acquiescant, quàm hanc assecuti sunt, hique cum proximè præcedentibus plumbeas iras gerunt. Deinde opponitur lentitudo, quæ prorsus iram nescit, ut etiam ad injuriam notoriam conniveat, neque ulla injustitia, aut turpitudine commoveatur.

De humilitate.

Cap. XXI.

Humilitas est modestia agens, qua nos paulo inferiores, quàm cõditio nostra requirit, esse existimamus.

Virgo Maria cum ab angelo Gabriele edocta esset se futuram matrem Messiæ; non animo efferebatur, sed agnoscens Deum odisse superbos, & humiles amore prosequi, humiliter se ancillam Domini profitetur. Iter deinde per montana difficile suscepit, ut cognatam suam Elisabetham visitaret, eique inserviret, quæ mox visa Maria humilitatem ejus admiratur, & prædicat his verbis: unde est, quod mater Domini ad me venit?

Abraham agens cum filiis Heth de sepulchrô suæ conjugis humilis fuit dum surrexit, & adoravit populum à quo tamen pro principe Dei habebatur.

Gideon cum ab angelo Domini dux Israëlitarum

rum nominaretur, eumque defensorem futurum cõtra Midianitas promitteretur, respondit: Qua ratione Israel liberabo? mea familia minima est in Manasse, & ego sum minimus in domo patris mei.

Saul cum ei defertur regnum à Samuele, conditionem suam longè inferiorem agnoscit, quàm ut regni majestatem, & molem sustinere possit, dum ait: Nónne sum filius Gemini, & familia mea minima est inter tribus Benjaminis? Quare ergo ad me defers regnum? Tandem persuasus divinitus sibi illud offerri, auxiliúmq; divinum in administratione promitti, modestè illud suscipit.

Jonathan cum compertum haberet patrem ejus propter peccata rejectum, & Davidem successorem in regno à Samuele nominatum esse, sponte se regno abdicat, & Dauidi submittit, dum eum sic alloquitur: Ne timeas. Neque enim inveniet te manus Saulis patris mei, & tu regnabis super Israel, & ego ero tibi secundus.

David reducens arcam Domini in domum suam non minus, quam populus tripudio, & saltatione lætitiam suam declarabat, quod importunè reprehendit Michal conjux ejus, cui respondit David: vivit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potius, quàm patrem tuum, & quàm omnem domum ejus, & præcepit mihi, ut essem dux super populum Domini in Israel, & ludam, & vilior fiam plus, quam factus sum, & ero humilis in oculis meis, & cum

ancillis, de quibus locutus es, gloriosior apparebo.

Dux tertius à rege Abasia ad Eliam missus flexis genibus, & precibus supplicibus Eliæ suam humilitatem declarat.

Petrus cum Cornelius ad genua ejus procidisset eum adorans humilitatem suam fatetur dum se hominem esse pronuntiat.

Paulus & Barnabas à Lystranis pro Diis habebantur, quos represserunt, dum humiliter se homines mortales esse profitentur.

Athenienses adventante Xerxe ut reipub. consulerent absque concertatione statim summam imperii Lacedæmoniis cesserunt. Postea ante pugnam ad Plateas cum Arcades ante ipsos collocari vellent, ajunt, se totum negotium ducibus permittere. ubicunque enim collocentur se futuros fortes, & præstantes milites.

Carolus Quintus Imperator, & frater ejus Ferdinandus dum temporis rex in nuptiis Ducis Bavariæ deducebant sponsum in templum, cúmque ventum esset ad templum neuter illorum voluit præcedere. Rex Ferdinandus detulit hunc honorem ad fratrem, quod esset Imperator. Carolus vicissim Ferdinando primum locum addixit. quod esset sponsæ pater. Ad hæc respondit Ferdinandus, Imperatorem & dignitate superiorem esse, & simul patris vicem gerere, & sic locum, quem jure occupare potuisset, Imperatori concessit.

Frideri-

Fridericus Imperator fuit aliquando apud regem Alphonsum Neapoli, & cum notaretur Alphonsus à consiliariis nonnullis, quod Imperatorem sibi præferret, objurgavit istos assentatores inquiens: Se scire gradus regum, illum esse Imperatorem; & Imperatori honorem divinitus datum in orbe Christiano tribuendum esse; licet aliorum sit major potentia.

Aristoteles suos dehortatus est, ne sese nimium extollerent, aut nimium deprimerent, quod illud levium sit, hoc insanorum.

Darius cum vellet suam statuam collocari ante Sesostris regis Ægyptii statuam; à sacerdote prohibitus est. Cogitare enim, ait, eum debere, quod Sesostris res gestas nondum æquasset. Sic Darius à sacerdote ad humilitatem revocatus sententiam ejus laudavit.

Pausanias adolescens, qui postea summus dux Spartanorum ad Plateas fuit, sedens in convivio Simonidem præsentem provocat, ut sapiens dictũ in medium afferat. Hic sentiens insolentiam Pausaniæ nihil aliud profert, quàm hoc: memento te hominem esse. Sic eum recordatione mortalitatis, & incertæ fortunæ ad humilitatem revocare voluit.

Philippus Macedonum rex puerum aluit, qui singulis diebus ei ter occineret, ut hominem se esse recordaretur, ne prospero faventis fortunæ afflatu elatus altius quàm par est, se extolleret.

Humilitatis, amicitiæ naturalis, & obedien-

tiæ exemplum est Artabazenes, qui licet esset maximus natu, tamen sine seditione patris judicio cessit de regno, & Xerxen regnante Patre ex Atossa filia Cyri natum sibi præferri passus est, cum quo postea mutuam benevolentiam exercuit, & muneribus certavit.

Durerus præstans Noribergensium pictor solitus est dicere, se valde delectari picturis suis recentibus, quas cum intervallo temporis interjecto denuo aspiceret, earum ipsum valde pudere. Quo magis enim quis excellit, eo magis miratur artem, magisq; se subjicit.

Antalcidas cum in Samothracia ad sacra accessisset, & à sacerdotibus ex eo quæreretur, quidnam in vita maximè laude dignum commisisset, respondit: si quid memorabile gessi, Diis notum est, nec ulterius quid addidit, ne vel superbè se jactaret, aut serviliter deprimeret.

Agathocles rex Siciliæ patre figulo natus inter aurea, & argentea pocula semper figulina miscuit, ut hisce admonitus non extra humilitatis septa erumperet de quo Ausonius.

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atq; abacum Samio sæpe onerasse luto.
Fercula gemmatis cum poneret aurea vasis,
Et misceret opes pauperiemq; simul:
Quærenti caussam respondit: rex ego qui sum
Sicaniæ figulo sum genitore satus.
Fortunam reverenter habe quicunq; repentè
Dives ab exili progrediere loco.

Traja-

Trajanus cum ab amicis reprehenderetur, quod immemor majestatis Cæsareæ nimis familiariter ageret cũ subditis, respõdit: talem me præstabo Imperatorem privatis, qualem privatus ipse mihi exoptarem. Sic indicavit non serviliter se gerere magistratum cum humanitate, mansuetudine, gratificatione, & justitia erga subditos est promptissimus.

Dux Bojemorum Crocus post se reliquit tres filias, ex quibus natu maxima Libussa aliquandiu regno præfuit, quod cum Bojemi ægrè ferrent probavit illis moderationem sui imperii, iisque equum suum tradit, quem liberum dimitterent, ut prandentem in ferrea mensa quæreret, & ducem designaret, cui etiam nubere vellet. Equus offendens Primislaum inverso vomere, ut mensa, utentem consistit, quem læta acclamatione equo impositum ducem salutant. Hic calceos suos malè consutos, quos fortè tum exuerat secum portat, & interrogatus ad quid eos reservaret, respondit, ut ego cum posteris meis de pristina sorte admoneamur, nec tumentes fastu indignos tanta fortuna nos reddamus.

Godefridus Bilioneus Dux Lotharingiæ cum captis Hierosolymis consentientibus votis à toto exercitu rex declaratus esset, & pro more aureo diademate coronari deberet, respuit illud, indignum ratus auro se coronari in eo loco, in quo rex regum Christus pro salute generis humani patiens spineam coronam portasset, cujus exem-

plum imitatus similiter spinea corona se insigniri voluit.

Perseus habuit Clypeum Gorgone inserta terribilem, quo aspicientes in saxa convertit, sed non illi concessum erat dictam Gorgonem aspicere. Sic ab admiratione opum, & potentiæ ad humilitatem retractus est.

Æsopus interrogatus quid Deus in cœlo ageret, respondit, Frangit ollas magnas, & ex frustis novas componit. Significare voluit superbiam à Deo puniri, humilitatem vero ornari.

Studium hujus virtutis sic Cicero nobis commendat: *Quanto superiores sumus, tanto submissius nos geramus.* Admodum enim grata, & in summa admiratione est autoritas cum humilitate cõjuncta, quæ ut suis metis se contineat, consideret humilis suam cõditionem, quam Dei ordinis, & distinctorũ graduũ inter homines autoris promotione suscepit, quidque hac existente superioribus, & inferioribus judicio rectæ rationis debeat, quo invento si se parum ulterius demittit, & officiosiorem offert; huic virtuti verè studet. Etsi enim Deus ad societatis humanæ conservationem certa, & distincta officia inter homines ordinavit, suumque cuilibet honorem attribuit, ut non peccet, qui se parem suæ conditioni gerit; tamen cum philautia penitus nostris mentibus insederit, eaque nunquam cogitet, unde emerse-

emerserit, nec præsentibus contenta sit, sed semper altiora suspiret; tutius est paulo infra metam subsistere, quàm in ipso medio periclitari. De hac virtute Proverb. 11. *Ubi fuerit superbia, ibi erit & contumelia: ubi autem est humilitas, ibi & sapientia.* Proverb. 16. *Melius est humiliari cum mitibus, quàm dividere spolia cum superbis.* Proverb. 25. *Ne gloriosus appareas coram rege, & in loco magnorum ne steteris. Melius enim est, ut dicatur tibi ascende huc, quam ut humilieris coram principe.* Proverb. 29. *Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria.* Sen. lib. 1. de tranquil. vitæ, *Puto multos potuisse ad sapientiam pervenire, nisi putassent se pervenisse.* Idē lib. 3. nat. quæst. *In secundis nemo confidat, in adversis nemo deficiat, alternæ sunt vices rerum.* Livi. libr. 2. Deca. 3. *Non omnia eidem Dii dedere.* Valer. Max. lib. 8. *Nulla est tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ nō tangatur.* Q. Curtius lib. 8. *Si homo es, id quod es, semper te esse cogita.* Plin. lib. 7. *Is demum profecto vitam æqua lance pensitabit, qui semper fragilitatis humanæ memor fuerit.* Sene. in Thyeste.

Ima permutat brevis hora summis
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit veniens jacentem,
Nemo confidat nimium secundis
Nemo desperet meliora lapsus.
Miscet hæc illis, prohibetq; Clotho

Stare fortunam, rotat omne fatum.
Nemo tam divos habuit faventes
Crastinum ut possit sibi polliceri.
Res Deus nostras celeri citatas
turbine versat.

Senec. in Troa. verba sunt Hecubæ.

Quicunq; regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leves metuit Deos,
Animumq; rebus credulum lætis dedit,
Me videat, & te Troja: non unquam tulit
Documenta fors majora, quàm fragili loco
Starent superbi. Senec.
Vos, quibus rector maris, atq; terræ
Jus dedit magnum necis, atq; vitæ,
Ponite inflatos, tumidosq; vultus,
Quicquid à vobis minor extimescit
Major hoc vobis dominus minatur
Omne sub regno graviore regnum est.

Horat. lib. 2. Carm.

Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum
Pectus informes hyemes reducit
Jupiter idem.
Rebus angustis animosus, atq;
Fortis appare, sapienter idem
Contrahe vento nimium secundo
Turgida vela. Ibid.
Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitia. Ovid.

Ovid. 2. Metam.

---Diciq; beatus
Ante obitum nemo supremaq; funera debet.

Idem 3. Tristi.

Crede mihi benè qui latuit, bene vixit, & intra
Fortunam debet quisq; manere suam.

Martial.

Ardua res hæc est, opibus non tradere mores,
Et cum tot Crœsos viceris, esse Numam.

Augusti: *Cogitas magnam constituere fabricam celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.* Chrysost. *Qui ab humilitatis operibus recedit, a dignitatis fastigio tumoris pondere cadit.* Ab hac virtute alienus est contemptus honoris, & levitas, quibus spernitur gloria, quæ superioribus, & virtute præditis non tantum saniorum judicio, sed etiam mandato divino debetur. Deinde aliena est arrogantia, quæ sibi plus nimio tribuens ad altissima quęque confidenter quidem, sed infeliciter contendit.

De sobrietate.

CAP. XXII.

Sobrietas est modestia agens, qua cibi, & potus tanta portione utimur, quantam natura ad sui conservationem requirit,

Levitici 10. *Deus præcipit Aaroni & filiis*

ejus, ut accessuri sanctuarium se abstineant à vino, & sicera.

Num. 6. Vult Deus, ut qui votum fecerunt inebriantem potum fugiant.

Judicum 13. uxori Manoah injungitur ab angelo, ut vino non utatur.

Daniel cum sociis, qui simul instituebantur in literis Chaldæorum, deprehendebant cibos regios, quibus alebantur, ad luxum potius, quam ad vitæ sustentationem sufficere. Regio igitur luxu rejecto tenuem apparatum petebant, quo impetrato optime victitabant.

Alcamenes Telecri filius reprehendebatur à quodã, quòd victu tam modico, & tenui cõtentus esset, cum tamen opibus plurimum posset, cui respondit: Decet eum, qui multa possidet, pro ratione, non pro libidine vivere. Male enim divitiis utuntur, qui eas immodico luxu consumunt, & valetudinem simul perdunt.

Socrates in conviviis optimè sibi temperare potuit, ne plus cibi, aut potus ingereret, quam deceret, aut sibi opus esset, illisq́, qui hanc ejus sobrietatem imitari non poterant suadere solebat, ut abstinerent ab illis cibis, qui saturis appetitum excitarent, & ab illo potu, qui sitim minimè sitientibus concitaret. His enim non tantum stomachũ, sed etiam caput, mentemq́ maximoperè affligi contendebat neq́ se putare Circen alio, quàm tali victu socios Ulyssis in sues commutasse, quod in Ulysse ut homine sobrio præstare non potuit.

Plato

Plato & frugalitatis, & sobrietatis amorem suo de Agrigentinis judicio prodit. Luxum enim eorum sic reprehendit: Agrigentini ædificant, ac si æternas possessiones habituri sint, & cibo, potuq; sese onerant, ac si mors illis mox esset obeunda.

Apud Ægyptios mos erat certam vini & cibi mensuram regi apponere, nec illi cõcessum erat ultra hoc demensum quid postulare, ne luxu corruptus vitiis se inquinaret, regnóque & subditis gravis, & molestus esset.

Sic Salomon Proverb. 31. sub persona Lamuelis præcipit: Noli regibus o Lamuel, noli regibus dare vinum, quod nullum secretum est, ubi regnat ebrietas, ne forte bibant, & obliviscantur judiciorum, & mutent caussam filiorum pauperis.

Indi non utebantur vino nisi in sacrificiis, & decretum fecerunt, ut mulier, quæ regem ebrium interfecisset à successore in matrimonium duceretur.

Sic Athenienses ex Solonis legibus hanc potestatem habebant, ut liceret illis ebrium ducem interficere.

Antigonus rex vidit aliquando suos milites armatos egregiè certare, quo certamine adeo delectatus fuit, ut principes suos accerseret, quibus virtutem horum militum ostenderet, & commendaret. Sed cum illi nunciatum esset compotationibus eos indulgere; ejectis illis fortes istos milites in præfecturas immisit.

Anacharsis interrogatus, quomodo ebrietas vitari posset, respondit: si ebriorum truculentus vultus, & turpissimi mores cõtinuè apud animum volvuntur.

Præstantiores & antiquiores Romani non erubescebant inter suos cives tenui cibo, & vili potu uti, ut eos suo exemplo ad sobrietatem incitarent, & à luxu, & hunc comitante libidine abducerent.

Julius Viator ex nobili Vocontiorum familia cum hydrope laboraret, & medici ei injungerent, ut à potu & fluidis cibis sese abstineret; tam egregiè se cohibuit, ut consuetudine diuturna senectam potum minimè desiderantem consecutus sit.

Democrates dicere solitus est, non humanum, sed caninum esse subito cibos ingurgitare, & hoc victu homines contentos esse oportere, qui bonam valetudinem promoveat, non qui delicatè, & opiparè esset præparatus.

Lycurgus Lacedæmoniorum legislator docuit, non lautioribus, & pluribus cibis utendum esse, quàm iis, qui famem sedare, & corpus alere possunt.

Timotheus Atheniensium dux tenui apparatu, & eruditis colloquiis in cœnis Platonicis delectatus dixit: Qui cum Platone cœnant, etiam postero die benè habent.

Astyages ex Cyro adhuc puero quærebat cur non vino in convivio esset usus, respondit; venenum poculo inesse putabam. Nam cum natalem

tuum

tuum celebrares vidi pincernam vobis venenum infundentem. Quod miratus Astyages inquirit, qua ratione id factum esset. Ad hæc Cyrus, hinc collegi illud, quod neque corpus, neq; mens vestra suo officio fungi potuit.

Alphonsus Siciliæ rex interrogatus cur vino tam raro, & parcè uteretur, respondit: Vino sapientiam obscurari, ideoque non decere regem, ut hanc immodica compotatione in animo extinguat, sine qua Imperatoris, & regis nomen ritè tueri non possit. Idem interrogatus cur vinum aqua misceret, respondit: ut ebrietatem effugiam. Probè enim novi, quantoperè Alexandro nocuit, quod potando cum lurconibus certavit. Interrogantibus tandem cur ebrietatem adeo damnaret, respondit: Quia furorem & libidinem ebrietatis filios esse non ignoro.

Lacedæmonii ut liberos suos à luxuria ad sobrietatem revocarent in publicos congressus helotas vino madidos admittebant, qui turpitudinem suam verbis, & gestibus prodentes ingenuos ab ebrietate absterrerent.

Cum homines tanto sint nobiliores quanto præstantioribus actionibus bruta vincunt, & hoc cum brutis vel maximè habeant commune, ut quotidie victu utantur; inprimis refert, ut secũdum rectam rationem hac in parte agant, intraque terminos sobrietatis se contineant, qui sic describuntur, ut cibi & potus tanta portione utamur, quantam natura ad

ſui conſervationem deſiderat. Cum enim calor naturalis ſubinde abſumat humidum radicale, quo ſine animantia nequeunt vivere, opus etiam eſt, nutrimento, quo id, quod abſumptum eſt, nonnihil inſtauretur. Calor autem non in omnibus æquè fortis eſt, ut plus nutrimenti in hujus, quàm in illius natura requirat; citius etiam pro ratione ſuæ intenſionis acceptum concoquit, & corpori aſſimilat, aut abſumit, unde ſequitur, quod multi ſine luxu, cibo & potu copioſiore utantur. Sic Milo Crotoniates vitulum comedens, & aliquot congios vini exhauriens famem, & ſitim levavit, qua cibi, & potus portione ſi quis hominũ noſtri ſeculi ſeſe oneraret; prorſus in Antonium converteretur, nec tamen id omne una cœna perderet. Sic & illi qui duro labore occupantur plus alimenti naturaliter appetunt, quàm qui in otio vivunt. Qui igitur huic virtuti ſtudet, ſuam naturam diligenter examinet, ut naturæ neceſſarium alimentum ſine periculo poſſit ſuppeditare. De hac virtute Proverb. 13. *Juſtus comedit, & replet animam ſuam; venter autem impiorum inſaturabilis.* Proverb. 25. *Mel inveniſti, comede quod ſufficit tibi, ne quando ſatiatus evomas illud.* Prover. 23. *Noli eſſe in conviviis potatorum, nec in comeſſationibus eorum, qui carnes adveſcendum conferunt. Quia vacantes potibus, & dantes ſymbola conſumentur, & veſtietur pannis dormitatio.*

Ne

Ne intuearis vinũ, quãdo flavescit, cũ splenduerit in vitro color ejus. Ingreditur blandè, & in novissimo mordebit, ut coluber, & sicut regulus venena diffundet. Augusti: *Sobrietatis perseverantia inæstimabilis est animi fortitudo, omnes eam virtutes, & omnes laudum tituli concupiscunt, quia sine ipsa ornari, aut placere non possunt.* Hieron. *Modicus, ac temperatus cibus carni, & animæ utilis est.* Boet. *Si, quod naturæ satis est, replere indigentiam velis, nihil est quod fortunæ affluentiam petas. Paucis enim minimisque natura contenta est, cujus satietatem si superfluis velis regere; aut injucundum, quod infuderis, fiet, aut noxium.* Cic. 2. de fini. *Cibi condimentum esse famem; potionis sitim dixit Socrates.* Cic. de Sene. *Tantum cibi, & potionis adhibendum, ut reficiantur vires; non opprimantur.* Senec. in Epist. *Magna pars libertatis est benè moratus venter.* Plin. lib. 14. *Neque viribus corporis utilius aliud, quam vinum, neque aliud voluptatibus perniciosius, si modus absit.* Virg. in Epigram.

Vina sitim sedent, natis venus alma creandis:
Sed fines horum transiluisse nocet.

Ovid. 2. de reme. amo.

Aut nulla ebrietas, aut tanta sit, ut tibi curas
Eripiat, si qua est inter utrumq;, nocet.

Senec. in Epist. *Hanc sanam ac salubrem formam vitæ tenete, ut corpori tantum indulgeatis, quantum bonæ valetudini satis est. Cibus famem sedet, potio sitim extinguat.* Ibidem: *Venter præ-*

cepta non audit, poscit, & appellat, non est tamen molestus creditor, parvo contentus est, si das illi, q̄ debes, non quod potes. Cū hac virtute pugnat luxuria, quæ nimio cibo & potu corpus obruit, & ejus vires prosternit. Deinde pugnat inedia, qua corpori necessariū alimentū denegamus, aut tenui vel crudo cibo illud maceramus, magisq; carnē quàm carnis vitia extinguimus. Et licet multi fuerint, qui laudem ex tenuitate victus affectarunt; perfectè tamen illā non nisi in casu necessitatis sunt consecuti. Sic Darius turbidam aquam ex lacuna hausit, qua sitibundus adeo fuit delectatus, ut se gratius non bibisse affirmaverit utili sane continentię exēplo, præsertim cum exercitum duceret annonæ difficultate laborantem. Quod vero Curius Dentatus rapis pro cibo usus est, quod Magi in Persia farre, & herbis victitarunt: quod Phraodes Indorum rex ex herbis & fructibus arborum vixit; quod Procus Indorum rex pane & aqua se sustentavit; ostentatio magis, aut rigiditas, quàm vera virtus est. Etenim Paulus Coloss. 2. hanc inediam affectatæ sanctitatis effectum esse statuit dum ait: Si igitur mortui estis cum Christo ab elementis mundi; quid adhuc tanquam mundo decernitis? ne tetigeritis, ne gustaveritis, neque contrectaveritis, quæ sunt omnia in interitu ipso usu secundum pręcepta, & doctrinam hominum, quæ sunt rationem habentia sapientiæ in super-

perstitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori nō in honore aliquo ad saturitatē carnis. Sic Timotheo suo injungit, ut vino modico utatur propter stomachū, & frequētes infirmitates. 1. Tim. 4. ait: Spiritus autem manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorū in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam cōscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiēdum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognoverunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. Christus Matth. 11. cibo & potu lautiori usus est, non absterritus Pharisæorum, & superstitiosorum vociferationibus, qui comedonem, & vini potorem, publicanis & peccatoribus amicum eum dicebant. Psal. 103. testatur, Deum producere fœnum jumentis, & herbam servituti hominum, ut educat panem de terra, & vinum lætificet cor hominis, ut exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet. Genes. 27. Isaac precatur filio de rore cœli, & pinguedine terræ, abundantiam frumenti, vini, & olei. Ad hunc modum certè filio non benedixisset, si non usum horum donorum concessum esse iudicas-

ſet. Deut. 32. affirmat Moyſes, Deum conſtituiſſe populum Iſraeliticum ſuper excelſam terram, ut comederet fructus agrorum, ut ſugeret mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo, butyrum de armento, & lac de ovibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan, & hircos cum medulla tritici, & ſanguinem uvæ biberent meraciſſimum. Chriſtus Iohan. 2. pretioſo vino donat ſponſos, ut hoſpites lautius tractarentur. Non igitur in ſobrietatem peccat, qui lautiori cibo veſcitur ad vitæ ſuæ ſuſtentationem.

De pudicicia.

CAP. XXIII.

Pudicicia eſt modeſtia agens, qua fugimus id, quod pudorem honeſto animo ex ſordibus, & uſu corporis vitioſo injicit.

Eſtq́; caſtitas, aut verecundia.

In hac deſcriptione dicitur fugiendum eſſe, quod pudorem honeſto animo injicit. Multi enim ſunt tam ſervilibus, ſtupidis, aut ruſticis ingeniis, ut nec quid deceat, nec quid honeſtum ſit videant, aut attendant, cum ſordibus, & vitioſis geſtibus adeo aſſueverint, ut licet aliis ſint moleſtiſſimi, aut prorſus ridiculi, nihil tamen corrigendū putent. Qui vero ingenuis

nuis sunt animis, beluinum magis, quàm humanum censent, sordibus conspurcatum apparere, iisque facile confunduntur. Nec minus turpem corporis usum fugiunt. Absurdissimum enim esse statuunt longe brutis ratione præcellere, nec tamen scitè & eleganter corporis membris uti posse. De hac virtute Sene. in Epist. *Nutriendus est pudor, qui quamdiu in animo duraverit, aliquis erit bonæ spei locus.* Cic. *Pudicicia est virtus non solum impetum libidinis coërcens, sed & signa cohibens.*

De castitate.

CAP. XXIIII.

Castitas est pudicicia, qua illegitimum amorem acriter fugimus, & legitimo illæsa valetudine, & in loco obtemperamus.

Josephus cum Potipharis conjux libidinosè eum ad concubitum solicitaret, & comprehenderet, relicto pallio fugit, ut impudicos procacis mulieris conatus à se averteret. insigne castitatis exemplum.

Abimelech rex Geraris Saram Abrahami sororem, & innuptam putans concubinis suis annumerat. Sed antequam illam attingat divinitus admonetur mortis pœna indicta, ut abstineat ab alterius conjuge: quod cùm audit veniam petit, suamque innocentiam demonstrat, postea cum

Abrahamo redit in gratiam, eiq́; intactam uxorem remittit.

Germanorum castitatem Cornelius Tacitus sic prædicat: Soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, & septa pudicicia agunt, paucissima in tam numerosa gente adulteria quorum pœna præsens, & maritis permissa: accisis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. Publicatæ enim pudiciciæ nulla venia, non forma, non ætate, non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere, & corrumpi seculum vocatur. Sera juvenum venus, eoque inexhausta pubertas, nec virgines festinantur, eadem juventa, similis proceritas, pares, validæq́; miscentur, ac robora parentum liberi referunt, sua quẽque mater uberibus alit, nec ancillis, aut nutricibus delegantur.

poena adulterii apud Germanos.

Germanorum artifices mechanici in tribus suas non admittunt aut ferunt scorta, & illegitime natos, aut hos in matrimonium ducentes, ut suos à scortationibus eo magis abstrahant.

Alexander Macedo capto Gynæceo Darii noluit à se nobilissimas formáque spectatissimas Darii filias admittere, ne amore earum captus fines castitatis excederet, & ita vinceretur à mulieribus, qui viros superasset. Cum in Illyriam venisset, & in templo ethnico formosissimam fœminam cum admiratione conspexisset; Ephestion dux illi autor fuit, ut hanc secum abduceret. Sed huic

exemplum insignis castitatis.

huic respondit: nónne hæc res indigna esset, in aliorum libidinem animadvertere, & apud exteros incontinentiæ crimen incurrere?

Darius Persarum rex cum formosissimam virginem Aspasiam in uxorem duxisset, tam castè cum illa vixit, ut aliam nunquam desiderarit, cúmque Araspus reginæ Pantheæ egregiam formam commendaret, qua rex sese oblectare posset, respondit Cyrus, si te audirem amore ejus accensus plurimum temporis ludendo cum illa perderem, & necessariis negotiis deessem.

Cn. Pompejus servi sui manumissi conjugem pulcherrimam nunquam humaniter allocutus est, quamvis aliàs esset humanissimus. Etenim abhorrens ab impudico amore austeritate sua prohibere voluit, quo minus tam præstanti forma accenderetur.

Susanna conjux Jojakim cum à duobus senioribus sollicitaretur, ut cum ipsis concumberet, fortiter his restitit, neque metu mortis cogi potuit, ut in turpissimum eorum amorem consentiret.

Scipio capta Carthagine in Hispania nobiles & præstantes aliquot fœminas ad se adduci vidit, ex quibus Mandonii Hispani principis conjux ad genua ejus provoluta lacrymis profusissimis eum rogavit, ut captivarum castitatem defenderet. His justis, & honestis precibus motus Scipio non tantum eas custodiri jussit ne vitiarentur, sed etiam intactas suis reddidit.

Valeria Messalina cum mortuo Sulpitio ma-

rito à consanguineis suis admoneretur, ut ex procis, qui propter egregiam formam, & ætatem adhuc floridam eam ambibant, conjugem eligeret; non potuit adduci, ut consentiret. Suum enim maritum Sulpitium, dicebat, ex hac quidem vita decessisse: sibi vero tam alte insedisse, ut quamdiu superstes esset, alteri nubere non posset.

Persæ legatos suos ad regem Amyntam miserunt, eique injunxerunt, ut Persicæ potentiæ se subjiceret, quod Amyntas timore adductus approbavit, & legatos splendide instructo convivio lautissimè tractavit, qui cum vino incalescerent, nobiles mulieres ad se more Persico admitti petebant. Amyntas licet ostenderet apud Macedones minimè hoc decere, denegare tamen non potuit. Cum autem Persas turpiter, & petulanter, se gerentes conspexisset; cum filio Alexandro tantopere offensus est, ut Amyntas suasu filii se subduxerit, & cubitum contulerit. Alexander vero lætitiam aliquandiu simulans discessum mulieribus reditu promisso impetrat, & subornat formosos juvenes, qui sub vestitu muliebri cultros reconditos haberent, quibus Persarum lasciviam ulciscerentur. Persæ nihil mali suspicantes hos etiam petulanter attrectant, & mox omnes ab his confodiuntur.

C. Iulius Cæsar conjugi suæ libellum repudii scripsit, quod P. Clodius in ejus ædibus vestitu muliebri deprehensus esset, hoc tamen se scire dissimulavit, cum ejus testimonium contra Clodium de

pro-

profanatis Cereris sacris quæreretur. Cum autem interrogaretur, quam ob caussam uxorem suam repudiasset, respondit: Imperatoris conjugem decere, ut non tantum nullis vitiis inquinata sit, sed etiam ut vitæ integritate omnem turpitudinis suspicionem vitet.

Carolus Dux Burgundiæ comitem adhuc juvenem in aula sua habuit, qui cum illo venatum proficiscens rustici cujusdam filiam in prato, invenit, eamque vi stuprat, quæ indignitatem rei patri suo indicans hujus ope factum ad Carolum ducem defert. Hic primo cogit comitem, ut ducat vitiatam puellam, deinde eum capite plecti jubet bonis ejus puellæ dotis loco concessis. Hanc sententiam cum nonnulli ut nimis rigidam taxarent, respondit dux: nuptiis & bonis translatis puellæ tantum: supplicio capitis, sibi ut casto, & justo magistratui esse satisfactum.

Duo in hac virtute præcipiuntur. Primum est, ut castus animus verè abhorreat ab omni amore meretricio, & damnato, neque tantum suo corpore ab illo abstineat, sed nec aliis autor sit, aut promotor ut sese turpi libidine polluant, aut deforment. Quod enim quis per alium facit, per seipsum fecisse non injuria putatur. Illegitimus autem & turpis amor is est, quem seminis abusus damnat, qui est in detestanda commixtione cum beluis: in Sodomitico puerorum usu, quem Deus sulphure, & igne de cœlo misso prohibuit: in incesto san-

guine junctorum concubitu; in adulterio, & ſimplici etiam ſcortatione : in qualibet denique frivola ſeminis profuſione. Secundum eſt, ut legitimo amori ſatisfiat. Deus enim caſtitate delectatus caſtam ſobolis propagationẽ ordinavit, & in ipſo mundi exordio primos noſtros parentes ut conjuges copulauit, vagáſque libidines nunquam non tragicis pœnis perſecutus eſt. Cum igitur Deus viderit omnia à ſe facta valde bona eſſe; non carpamus ſapientiſſimi creatoris, & patroni noſtri inſtituta, ſed ſobriè illis utamur, quod ut rectius fiat valetudinis ratio habenda eſt. Etenim non minus coactus, quàm nimius amor corpori nocet, & infeliciter cõjugium ineunt, qui vel nimia frigiditate, aut nimia caliditate, & ſiccitate præditi parum fœcunditatis habent, ac facile vires corporis exhauriunt, & hi ſunt ex illis, quibus datum eſt ſalva conſcientia extra conjugium vivere. Sic qui nimium conceſſo amori indulgent humidum radicale cum ſpiritibus mirum in modum profundunt, nec minus toti valetudini, quàm cerebro ægrè faciunt. Non etiam proſunt corpori, aut ſatis caſti ſunt, qui menſtruum ſanguinem non fugiunt, præſertim cum hic amor à Deo ipſo inter illegitimos referatur. Qui igitur caſtitati ſtudent, ſuam ipſorũ nõ debent ſanitatem expugnare. Præterea locus obſervandus eſt, ut ſatis caſtè legitimo amori obtemperemus.

Cum

Cum enim ſumma ſit ingenii humani perverſitas, & petulantia; non tantum aliis calcar ad illegitimum amorem facile ſubdi poteſt, ſed etiam conjuges offendi, aut ad amoris exceſſum naturæ noxium incitari poſſunt. Sic igitur caſti amorem ſuum erga ſe invicem declarent, ut nec aliis ſcandalum pariant, nec ſibi ipſis periculũ creent. De hac virtute Prover. 5. *Ne intenderis fallaciæ mulieris. Favus enim diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus. Noviſſima autem ejus amara quaſi abſinthium, & lingua eius acuta quaſi gladius biceps. Pedes eius deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus eius penetrant.* Auguſti: *Inter omnia certamina Chriſtianorum duriora ſunt prælia caſtitatis. Nam ibi continua pugna & rarior victoria.* Hieron. *Quacunq; virtute polleas, quibuſcunque operibus niteas, ſi cingulo caſtitatis careas, omnia per terram trahes.* Horat. libr. 3. Carmi.

Dos eſt magna parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere caſtitas.

Ovid. 1. de reme. amo.

Ergo ubi viſus eris noſtra medicabilis arte,
Fac monitis fugias otia prima meis.
Hæc ut ames faciunt, hæc quæ fecere tuentur,
Hæc ſunt jucundi cauſſa, cibuſq; mali.
Otia ſi tollas periere cupid nis arcus
Contemptæq; jacent & ſine luce faces

---qui finem quæris amoris
Cedit amor rebus, res age tutus eris.

Auſon.

Quæ dos matronis pulcherrima? vita pudica,
Quæ caſta eſt? de qua mentiri fama veretur.

Philip. Melanchth.

Ut cum de ſtatua facies formoſa remota eſt
Non decus in reliquo corpore truncus habet:
Sic reliqui mores ſpreti ſine honore jacebunt,
Ni ſint ornati laude pudicicia.

T. Scortatio. Ab hac virtute diſcrepat ſcortatio, & abuſus ſeminis, quocunque modo id fiat. Deinde diſcrepat odium mulierum pertinax, quo quis adeo fugit mulieres, ut etiam quęvis commertia cum his tractanda vitet. Non enim eſt virtutis homines vitare, ſed his rectè uti poſſe.

De verecundia.

CAP. XXV.

Verecundia eſt pudicicia, qua in corporis motu, & ſitu, quod loco, & tempori maximè convenit, ſequimur.

Verecundiam Lucretiæ cum caſtitatem ſuam morte teſtata eſſet Ovidius ſic deſcribit 2. Faſto:

Tunc quoq; jã moriens, ne non procũbat honeſtè
Reſpicit, hæc etiam cura cadentis erat.

Sic ab eodem Polyxenæ verecundia celebratur 13. Metam.

Tunc

Tunc quoq; cura fuit partes velare tegendas
Cum caderet, castiq; decus servare pudoris.

Apud Athenienses lege constitutum fuit, ut mulieres minus verecundè in publico incedentes mille drachmas penderent.

Socrates quo vultu domo exire, eo ipso domum redire solitus est. Etenim mollitiem, & inconstantiam animi crebram vultus mutationem indicare rectè judicavit.

Sophocles aliquando præturam cum Pericle administrans formosum puerum prætereuntem vidit, eumque Pericli ostendit, à quo sic admonitus est: Prætorem non tantum manus, sed etiam oculos continentes habere oportet.

Xenophon scribit Lacedæmonios in institutis suis voluisse, ut pueri in publico agentes manus intra vestes continerent, nec vagos, & abiis, quæ ante pedes erant distractos oculos haberent, & addit, hæc duo instituta esse, ut juventus à primis annis verecundiæ, & modestiæ assuefieret.

Hiob verecundiam suam prædicans ait: se icisse fœdus cum oculis suis, ne in virgines essent intenti.

Carolus Quintus Imperator post electionem Antverpiam ingrediebatur, cui Senatus in plateis, per quas iter patebat, ludos & spectacula exhibuit, ex quibus erãt formosissimæ virgines tenui tantum, & pellucido velamine tectæ. Sed Cæsar ad has delatus maluit avertere oculos, ne viderent vanitatem, quàm inverecundè has aspicere.

Apud Xenophontem vitio datur voluptati, quod sæpius respexerit in suam umbram, & oculos in varia loca volutarit.

Cicero judicium Ennii de corporibus denudandis citat hoc versu.

Flagitii principium est nudare corpora inter cives.
Etenim cum veste plerumq; pudor deponi solet.

Plautus ait, hominem servum decere, ut habeat oculos continentes, & manus, & linguam.

Cicer. 1. de orat. Crassi verecundiam sic commendat: Fuit mirificus quidam in Crasso pudor, qui tamen non modo non obesset ejus orationi, sed etiam probitatis commendatione prodesset.

Hæc virtus in motu, & situ corporis maximè occupatur, & vult, ut in his, quod locus, & tempus suadent, probe observetur. Nam templum, & aula, vel mensa eundem corporis motum non probant. In Italia blandi, & nimii gestus grati sunt: In Germania moderatio, & gravitas in gestibus magis sunt accepta. Tempus publici luctus alios corporis gestus, quàm tempus publici gaudii requirit, & postulat. Est autem motus corporis in variis ejus partibus, ut in oculis, quibus ne vagentur, imperandum est: in naribus, quas crebro contrahere, & dilatare vitiosum est; in ore, quod distorquere, & distrahere quocunque etiam modo id fiat, valde turpe est; in vultu, quem prodere animum virtute præditum, non libidine, aut aliis vitiis inquinatum inprimis decet: in manibus,

quas compositas magis, quàm gladiatoria gesticulatione vagas habere decorum est: in flexu, aut similibus motionibus corporis, aut certæ ejus partis, in quibus hoc tenendum est, ne quid cum impetu fiat, sed quidlibet sedatę moveatur: in denudatione corporis denique id, quod maximè locus, & tempus patitur, sequamur. In situ corporis id maximè decet, quod naturæ magis convenit, quę neque pronum, neque supinum, sed rectum inprimis monstrat, & probat. De hac virtute Ambros. *Est verecundia pudiciciæ comes, cujus societate castitas ipsa tutior est*. Bernhard. *Quid amabilius verecundo adolescente? quàm pulchra, & quàm splendida gemma morum est verecundia in vita & vultu adolescentis, quàm vera & minimè dubia bonæ spei nuntia, bonæ indolis index, virga disciplinæ, expugnatrix malorum, propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ, famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & insigne totius honesti*. Cic. de orat. *Custos virtutũ omnium dedecus fugiens, & laudem maximam consequens verecundia est*. Cic. 1. offic. *Quæ natura occultavit, eadem omnes, qui sana mente sunt, removent ab oculis, ipsique necessitati dant operam, ut quàm occultissimè pareant*. Ibidem: *Nos autem naturam sequamur, & ab omni, quod abhorret ab ipsa oculorum, auriúmque approbatione fugiamus, status, incessus, sessio, accubatio,*

vultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum. Valerius Max. *Verecundia est parens omnis honesti consilii, tutela solennium officiorum, magistra innocentiæ, chara proximis, accepta alienis, omni loco, omni tempore favorabilem præ se ferens vultum.* Sen. in Epist. *Artifices scenici hoc indicio imitantur verecundiam: dejiciunt vultum, verba submittunt, figunt in terram oculos, & deprimunt, ruborem sibi exprimere non possunt, nec prohibetur hic, nec abjicitur, nil adversus hunc sapientia proficit, sui juris est, injussus venit, injussus discedit.* Ovid. libr. 3. de arte amand.

Carpe cibos digitis, est quidam gestus edendi,
Ora nec immunda tota perunge manu.

1. Rusticitas. Ab hac virtute dissidet rusticitas, qua quis insulsè, & turpiter in gestibus & situ corporis se gerit. 2. Nimius motus corporis. Deinde dissidet nimius corporis motus, & situs, quo præter decorum, & gravitatem gesticulamur, quod perpetuo cum aliqua conjunctum est levitate.

De frugalitate.

CAP. XXVI.

Hactenus modestia fuit: sequitur frugalitas.

Frugalitas est temperantia, qua in administratione rei familiaris vitæ nostræ

generi

generi pro facultatibus sine luxu satisfacimus.

Noribergenses in vestitu leges sumptuarias à sapientissimo suo magistratu latas tam accuratè observant, ut in tam populosa & illustri civitate nullum ex civibus videas, qui vel sumtuosiori ornatu luxuriet, vel cum æqualibus non eandem vestiendi rationem habeat.

Anacharsis apud Ciceronem dicit: Mihi pulpamentum fames, cubile solum, vestis Scytharum tegmen. Indicans naturam parvo esse contentam, seq; magis frugalitate, quàm luxu delectari.

Julius Cæsar non tantùm sobriè victitavit, sed etiam tenuem apparatum nunquam aspernari solitus est, cúmque Mediolani ab hospite suo frugaliter tractaretur, & ejus commensales istam parsimoniam ægrè ferrent, luxum eorum taxavit, eosq; ad colendam frugalitatem serio adhortatus est.

Epaminondas dux Thebanus à quodam ad convivium vocatus fuit, qui lautissimè illud instruxerat, quod cum Epaminondas animadverteret, adeo offensus est, ut mox abierit his verbis luxum reprehendens: Ego te sacrificare, non lascivire putabam.

Lege Oppia, quæ Romæ viginti annos viguit, cautum erat, ne fœminæ veste varii coloris uterentur, nec auri plus seminuncia haberent, nec jun-

cto vehiculo propius urbem mille passibus nisi sacrificii gratia veherentur.

Apud Græcos erant gynæconomi, quorum officium erat, in ornatum muliebrem animadvertere, ne præter morem cum detrimento reipubl. cresceret, hisque concessum erat non tantum luxuriantes ad modum generi, & conditioni suæ convenientem revocare, sed etiam ornatu nimiũ lascivientes grandi pecunia mulctare.

Augustus Cæsar cum Romanos suos externo vestitu admodum delectari, eoque multum uti cerneret, gravi oratione eos dehortatus est, patriúmque habitum Virgiliano versu commendavit:

Romanos rerum dominos, gentemq́; togatam.

Idem solitus est dicere: Vestitus insignis, ac mollis superbiæ vexillum est indiciumq́; luxuriæ.

Tyberius Imperator offensus multiplici luxu Romanorum literas ad senatum Romanum scripsit, quibus graviter conqueritur de luxu ædificiorum, poculorum, tabularum pictarum, vestitus, de multitudine famulorum, & pedissequarum, & simul de his tollendis serio cogitat.

Ovidius dum Actæonem à propriis canibus discerptum fingit, nihil aliud docet, quàm ut quilibet reditus suos expendat, nec alat suarum fortunarum pestes.

Cum Dionysius Siculus tyrannus filiæ Archidami pretiosissimas vestes, & ornamenta muliebria satis splendida mitteret; Archidamus hæc

omnia

omnia repudiavit, & addidit, se existimare filiam suam deformatum iri, si istiusmodi vestibus, & monilibus uteretur, quæ fortunæ, & conditioni ejus minimè responderent, & ita superbiam, levitatemq́; arguerent.

Alexander Magnus devictis Persis abjecto solito vestitu Persicum ornatum usurpavit, quo facto Macedonum animos graviter vulneravit, qui viderunt Persicum luxum victores subjugasse, & effœminatos reddidisse.

Dionysius Sophista dicere solitus est: mel summo digito non cava manu gustandum esse. Quo significare voluit, sapientem moderate iis, quæ ad voluptatem faciunt frui debere.

Fridericus Dux & Elector Saxoniæ aluit tantum centum equos in aula sua, & quando ad comitia eundum fuit, ultra triginta equites in comitatu habere noluit. Dixit enim consilia magno comitatu impediri.

Homerus ait honestum habitum ad existimationem augendam conducere.

Lacedæmonii hospitem Milesium cum aliis deliciis affluentem, tum in vestitu sumtuosiorem, quàm pro Spartana consuetudine, jusserunt civitate excedere, ac domi Milesiam agere.

Ut modestia in luxu interno: sic frugalitas in luxu externo coercendo occupatur, & legitimam moderationem in administratione rei familiaris præscribit, in qua potissimum victus, vestitus, ædificiorum, famulitii, & bru-

torum alendorum ratio habenda eſt, quod ut rectius fiat, vitæ genus expendendum eſt, ut quis cogitet num publicam, vel privatam perſonam agat: num in ſummo, aut mediocri, aut infimo honorum gradu ſit conſtitutus. Aliud enim publicam, aliud privatam: aliud ſuperiorem, aliud inferiorem decet, nec ſana, aut ſtabilis eſt in hac vitæ humanæ ſocietate æqualitas. Deinde opes ponderandæ ſunt, num ſint amplæ, aut contractæ: num certis, & annuis reditibus ſint munitæ, aut ex incertis contractibus, vel dubio promoventium favore pendeant: num ſint in promptu, an vero facilè intercludi, aut præripi poſſint. Hæc ſi quis ſapienter, & prudenter trutinat, facilè colligere poteſt, quid vitæ ſuæ genus domi vel foris, pacis, aut belli tempore in adminiſtranda re familiari deſideret, aut ferre poſſit. Additur deinde vitę generi ſine luxu ſatisfaciendum eſſe. Nam fieri poteſt, ut eadem perſona aliquoties vitæ genus mutet, ut cum ſubinde ad majores dignitates aſpirat, aut divitiis augetur, quod cum fit alia in adminiſtratione rei familiaris ratio inſtituenda eſt. Sordidus enim eſſet, ſi quis honoribus & divitiis ornaretur, iiſque nec uti nec frui vellet, aut poſſet. Sed hîc luxus præcipuè vitari debet, qui vitæ genere opibuſque noſtris perſpectis facilè judicari poteſt. Etenim quocunq; in re familiari noſtras opes profundimus, loculóſque exhaurimus, luxu-

luxuriosum est, & resecandum, nec quis patrem honoribus, victu, vestitu, ædificiis extruendis, familia, & brutis alendis frugalitate integra imitari potest, cui opibus non par est. Nec magis, si quis Crœso ditior sine dispendio sortis Sybariticam mensam quotidie instruere, & Persico ornatu, numerosaque multitudine stipatus incedere posset, frugalitas permitteret, ut regio potius, quam vitæ generi convenienti modo rem familiarem moderaretur. Sic Cleopatra prodiga cum Antonio luxurioso decertans frugalitatis fines securè transiit. Uterque enim cœnam apparavit, quæ profusum magis, parúmq; regno & reipublicę consulentem animum prodidit, quàm frugalitatem, & hospitalitatem regibus dignã. Hanc luxuriam prisci mortales detestantes glande victitarũt, & Valerio teste, Crebrior apud antiquos pultis, quàm panis usus erat. Curii quoque Dentati frugalitas extollitur, quod rapis usus fuerit, unde & Seneca cum ipso Jove hunc contendere posse confirmat, qui suum desiderium intra panem, & aquam claudit. Nec minorem Agesilaus in ædificiis extruendis continentiam declarat, dum quadratis trabibus structas ædes reprehendit, cum rotundæ sufficerent, utpote naturales. Verum quod hi laboribus & bellis nati tali continentia sese magis ad quamlibet penuriam perferendam pręparaverint, quàm vere frugales fuerint, inde

manifestissimum est, quod Deus Noëo esum mundorum animalium concessit; quod Aaronem ad cultus divinos peragendos splendido vestitu exornavit: quod templum magnifice extrui jussit: quod Josephus & Daniel ad rerum gubernacula evecti splendidiori vestitu se exornari passi sunt: quod Paulus Timotheum vinum bibere propter debilitatem stomachi voluit: quodque debilioris naturæ homines cibo potuque crudioribus citius virtutem vitalem omnem obruerent, & extinguerent, quàm prima hujus virtutis incunabula attingerent. Quare Justinus rectè affirmat Lucanos cum Lacedæmoniis non tam ad frugalitatem, quam ad bella liberos suos rigidè educasse. Sic enim lib. 23. ait: Nam Lucani iisdem legibus liberos suos, quibus & Spartani instituere soliti erant. Quippe ab initio pubertatis in sylvis inter pastores habebantur sine veste, quàm induerent, vel cui incubarent: cibus his præda venatica, potus mellis, & lactis, & fontium liquor erat. Sic ad labores bellicos indurabantur. Hactenus Justinus. Neq; vero hodie obesset potentiores aliquanto rigidius educasse, quos non tantum toga celebres, sed etiam armis fortes & ad quamcunq; fortunam paratos esse convenit, ut cum Dario turbidam aliquando aquam jucundè bibere, & cum Mario gregarium in casu necessitatis militem agere possint. Sed hîc singulari

prudentia opus est, qua justam moderationem exquirimus, ut commodè abstinere à licitis, & rectè iis, quæ condita sunt, ut homini bono sint, frui, cumque Agathocle pauperiem & opes rectè miscere possimus. Sobrietas cum frugalitate communiter quidem cibum & potum moderatur, sed ita, ut illa appositis ad naturæ conservationem vesci: hæc pro vitæ genere, & opibus sine luxu jubeat apponere. De hac virtute M. Cato 1. de re rust. *Patrem familias vendacem non emacem esse oportet.* Ibid. *Ita ædifices, ne villa fundum quærat, neve fundus villam.* Cic. de Senec. *Non intelligunt homines, quam magnum sit vectigal parsimonia.* Ibidem: *Non esse emacem vectigal est.* Senec. in Epist. *Si ad naturam vives; nunquam eris pauper. Si ad opiniones; nunquam eris dives. Exiguum natura desiderat, opinio immensum.* Ibid. *Parvo fames constat, magno fastidium.* Ibid. *Simplici cura constant necessaria, in deliciis laboratur.* Ibid. *Adparata nati sumus, nos omnia nobis difficilia studio fecimus.* Ibid. *Emas non quod opus est, sed quod necesse est.* Ibid. *Quod non opus est asse carum est.* Ibid. *Magna pars libertatis est benè moratus venter.* Idem de pauper. *Facile est quod natura desiderat, & appositum, ad supervacua sudatur.* Valer. Max. *Bonæ valetudinis quasi quædam mater frugalitas.* Plaut. in Aulu. *Festo die si quid prodegeris; profesto egere liceat, nisi peperceris.* Idem in pœnu. *Non potest quæstus*

consistere si eum sumptus superat. Seneca in Thyes.

Humi jacentem scelera non intrant casam,
Tutusq; mensa angusta capitur cibus.
Venenum in auro bibitur
Rebusq; parvis alta præstatur quies.

Virg.4. Georg.

Regum æquabat opes animis, seraq; revertens
Nocte domũ dapibus mensas onerabat inemptis.

Horat.in Epo.

Beatus ille, qui procul negotiis
Ut prisca gens mortalium
Paterna bobus exercet suis
Forumq; vitat, & superba civium
Potentiorum limina.

Idem lib.2.Sermo.

---cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet. Ibid.
Jejunus stomachus raro vulgaria temnit.

Juven. satyr. 11.

Ne mullum cupias, cum sit tibi gobio tantum
In loculis.
Tales ergo cibi, qualis domus atq; supellex.

Claudian.

Vivitur exiguo melius, natura beatis
Omnibus esse dedit. si quis cognoverit uti.

Lucret.

Divitiæ grandes homini sunt vivere parcè
Æquo animo, neq; enim est unquam penuria
parvi.

Horat.lib.2.Carm.

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum,
Nec leves somnos timor, aut Cupido
Sordidus aufert.

Ab hac virtute dissentit luxus, quo rem familiarem non necessariis, & immodicis sumptibus factis sensim dissipamus, & tandem perdimus. Deinde dissentiunt sordes, quibus tam solicitè rem familiarem curamus, adeoque opibus parcimus, ut nec vitæ generi suus honor deferatur, nec quidquam ferè possessor ex facultatibus suis, nisi molestiam & durum laborem capiat.

De magnanimitate.

CAP. XXVII.

Hucusque temperantia explicata est; sequitur magnanimitas.

Magnanimitas est virtus propria, qua præsenti animo ea, quæ nobis gerenda sunt, expedimus.

Estq; diligentia, aut constantia.

Ea humani animi vicissitudo est, ut fluente nonnihil ad voluntatem ejus fortuna statim extra carceres erumpat, suæque cupiditatis modum nesciat. Adversa vero cum parum fortuna premitur, aut duris exercetur, adeo

constringatur, ut ad omnes penè mortua sit honestas actiones. Hactenus igitur temperantia sudavit, ut lascivientem, & temerè ruentem intra cancellos revocaret, cui succedit magnanimitas, ut jacentem erigat, & confirmet. Vult enim, ut in negotiis expediẽdis præsens sit animus cujus alacritate, & promptitudine felicius res procedat, & absolvatur. De hac virtute Cic. 1. offic. *Ad magnanimum pertinet, neque perturbationi animi, neque hominis, neque fortunæ succumbere.* Virgil. 10. Æneid.

Audentes fortuna juvat.

De diligentia.

CAP. XXVIII.

Diligentia est magnanimitas, qua propositum nostrum honestum pro viribus urgemus donec officio satis functi sumus.

" *Jacobus conjugibus suis discessum suum significans inter alia cõmemorat suam diligentiam: Vos scitis, inquit, quod totis viribus patri vestro servivi. Deinde Labano præsente ait: die tabescebam consumptus calore, nocte frigore, nec somnum oculis meis videbam, ita servivi in domo tua viginti annos.*

" *Apud Romanos mos erat, ut is, qui agros suos, vineas, & arbores fructiferas non, ut necesse fuit, colebat, per censores jure civitatis privare-*

privaretur. Eadem pœna Solonis erga otiosos fuit.

Erasmus Roterodamus tantam diligentiam in lectionem Terentii impendit, ut pagellas sæpissimè vertendo contriverit. „

Apelles nobilis pictor tanta diligentia fuit, ut nullum diem otiosum, & absque linea ducta præterire passus sit. „

Horat. in arte poetica in futuro poeta diligentiam sic desiderat:

---carmen reprehendite quod non
Multa dies, & multa litura coercuit atq;
Perfectum decies non castigavit ad unguem.

Trebonius ad Ciceronem lib. 12. famil. de ejus filio scribit: Noli putare mi Cicero me hoc auribus tuis dare, nihil adolescente tuo, atque adeo nostro, (nihil enim mihi à te potest esse sejunctum) aut amabilius omnibus iis, qui Athenis sunt, est, aut studiosius earum artium, quas tu maximè amas, hoc est, optimarũ. Qui cum mihi in sermone injecisset, se velle Asiam visere, nõ modo invitatus, sed etiam rogatus est à me, ut id potissimum nobis obtinentibus provinciam faceret. Illud quoque erit nobis curæ, ut Cratippus una cum eo sit, ne putes in Asia feriatum illum ab iis studiis, in quæ tua cohortatione incitatur, futurum. Nam illum paratum, ut video, & ingressum pleno gradu cohortari non intermittemus, quo in dies longius discendo exercendoq; se procedat. „

Operam, & studium suum attentum, quod

Cicero in tres suos de oratore libros collocavit. sic lib. 6. fam. 18. Epist. describit: Oratorem meum tantopere à te probari vehementer gaudeo. mihi quidem sic persuadeo, me quicquid habuerim judicii de dicendo in illum librum contulisse. Qui si est talis, qualem tibi videri scribis; ego quoque aliquid sum: sin aliter, non recuso, quin quantum de illo libro, tantundem de mei judicii fama detrahatur.

» *Jactatum fuit olim in Demosthenem, illius enthymemata lucernam olere, quod omnia de scripto, ac præmeditatus diceret, unde & illud de eodem celebratur, quod plus olei, quàm vini cõsumpserit.*

Aristophanes, & Cleanthes similiter tanta diligentia fuerunt, ut & horum lucerna in proverbium abierit.

Orphei diligentiam Cassius Parmensis his versibus describit.

Arguti primum cum plectra parentis, & auro
Distinctam sumpsit citharam Rhodopeius heros;
Ridebant segnes pulsus, digitosq; micantes
Serius, & cordis indoctæ dissona vocis.
Mox pudor exardens, & gloria dulcis honesti
Lusibus avertit puerilibus, omnis & illuc
Perditus incumbens Musæ pallebat amore,
Et nunc maternis inhiat, nunc ille paternis
Cantibus, hinc illinc discens dependet utrinq;.
, *Nulla venus faciem cepit mentita dolosis*
, *Compedibus, somni fuerat, parcusq; Lyæi,*

Donec

Donec ridiculus dudum modulamine sylvas
Evulsosq; suis scopulos radicibus egit.
Ausus & ire viam mortalibus inconcessam
Pœnarum oblitos demulsit carmine manes.
Non levis ascensus, si quis petit ardua, sudor
Plurimus hunc tollit, nocturno exsomnis olivo
Immoritur, delet, quod mox laudaverat in se,
Qui cupit æternæ donari frondis honore.

Cyrus ut suos diligentes in rebus gerendis haberet; non dubiè eos alloquebatur: eat aliquis, & conficiat hoc negotium, sed sciens naturale esse, ut, quod multis committitur, negligenter fiat, nominatis singulis commisit, quod gerendum fuit, ne vel alter in alterum onus derivaret, aut se excusare posset, quod negotium, ut minimè sibi commissum, non executus esset. ››

Paulus Apostolus prædicat suam diligentiam, qua sibi victum in casu necessitatis comparavit, quod videlicet die ac nocte texendo sudaverit. ››

Claudius Imperator in Græca & Latina lingua clarus tam diligenter Homerica scripta evolvit, ut penè ad verbum ista memoriter recitare potuerit, & crebro versus ejus sententiosos testimonii gratia allegaverit. ››

Hugo Moncada dux Hispanus in regno Neapolitano monstratis literis Imperatoris persuasit Pompejo, Ascanio, & Vespasiano principibus de Columna, ut communi studio, & ope impedirent Pontificem Romanum, qui exercitu suo in ducatu Mediolanensi molestus erat. Consilio igitur

Pompeii de columna itinere festinato per devia Romam incœnati ferè, & insomnes totum triduũ contenderunt, ut pontificem tum temporis inermem facilius superare, aut capere possent. Nec fefellit illos augurium. Nam capta Roma pontificem maximum ad petendam pacem adegerunt.

» Antonius de Leva, & Casparus à Frundsberg Cæsarei exercitus duces Mediolanum contra Gallum, & Venetos tenentes cum compertum haberent, adventare Helvetios, ut Gallo opem ferrent; vesperi Mediolano deserto oppidum Carraram itinere per totam noctem facto continenter petiverunt eosq; subito impetu cõsternatos fuderunt, & disjecerunt.

» Epaminondas Thebanus dux cum suos Thebanos festum agere, & luxu diffluere videret; solus in urbe sobrius obambulavit. Interrogatus vero cur non ut reliqui hilarem istam diem, & noctem sumeret, respondit: se excubias agere, & vigilare, ut reliqui tutius potare, & dormire possint.

» Diligentiam & amorem suum erga studia Robertus rex Hierosolymorum hisce verbis prodidit: si alterutro carendum esset; malle se regno, quàm studiis orbatum esse.

» Plato finita lectione, aut disputatione pueros suos sic dimittere solitus est: videte pueri, ut otium in re quapiam honesta collocetis.

» Carolus Magnus Imperator Alcoino præceptore

ptore usus est non tantum in doctrina sacra, sed & tota Philosophia in qua didicit diligenter cum alia, tum vero inprimis doctrinam motuum cœlestium, ac numerorũ. Nam & Ephemerides eum computasse ferunt, & anni mensibus, & ventis nomina imposuit, quorum aliqua usus huc usq; retinuit.

Carolus quartus Imperator, excelluit ingenio & doctrina, & multarum linguarum peritia. Consuetudine doctorum delectatus est plurimum. In scholam Pragensem, quam recens fundarat, aliquando ingressus, cum doctos audivisset disputantes in horas quatuor, idq; purpurati moleste ferrent ac cœnæ tempus adesse dicerent: Mihi, inquit, tempus est minime. Nam cœna hæc mea est.

In hac virtute primo omnium tenendum est, ut propositum honestũ habeamus. Quod enim operæ turpibus, aut curiosis actionibus impenditur à virtute alienissimum est. Hoc propositum honestum ita urgere debet, qui diligentiam suam aliis probare studet, ut nec labori ullo parcat, nec difficultate ejus frangatur. Ut autem exordii conatus alacer laude dignus est, sic & legitimum operæ finem nosse præclarum est, ne id, quod nimium est, vitiosum existat, aut illud poetæ accidat:

Frangere si metuis franges crystallina, lædunt
Securæ nimium sollicitæq; manus.

Quilibet igitur diligens non tantum quid sibi

commissum sit expendat, sed etiam examinet, quibus metis negotium tractandum sit circumscriptum. De hac virtute Prover. 6. *Si impiger fueris; veniet ut fons messis tua, & egestas longè fugiet à te.* Proverb. 10. *Qui congregat in messe filius sapiens est: Qui autem stertit æstate, filius confusionis.* Proverb. 12. *Qui operatur terram suam satiabitur panibus: Qui autem sectatur otium stultissimus est.* Proverb. 22. *Vidisti virum velocem in opere suo, coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.* Cic. in Bruto. *Nihil difficile amanti.* Cic. pro Arch. *Certè si animus nihil præsentiret in posterum, & si quibus regionibus vitæ spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas, nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis, vigiliisq; angeretur, nec toties de vita ipsa dimicaret.* Cic. pro Plant. *Clarorum virorum atque magnorum non minus otii, quàm negotii rationem extare oportere dixit Cato.* Cic. 1. de orat. *Usus frequens omnium magistrorum præcepta superat.* Cic. 1. offic. *Omnis actio vacare debet temeritate, & negligentia.* Senec. in Epist. *Generosos animos labor nutrit.* Ibid. *Certis ingeniis immorari, & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui ubique est; in peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicicias: Idem accidat necesse est eis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim, & properan-*

tes transmittunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nihilæquè sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebra medicamenta tentantur. Non convalescit planta, quæ sæpe transfertur. Nihil tam utile est, quod in transitu prosit. Distrahit animum librorum multitudo, itaque cum legere non possis, quantum habueris; sat est, habere quantum legas. Sed modo, inquis, hunc librum evolvere volo, modo illũ: fastidientis stomachi est multa degustare, quæ ubi varia sunt, & diversa coinquinant, non alunt. Probatos igitur semper lege, & si quando ad alios diverti libuerit, ad priores redi, & cum multa percurreris, unum excerpe, quod illo die concoquas. Cic. 6. famil. Epist. 1. *Nemo est tam afflictus, qui, si nihil aliud studeat, nisi id, quod agit, non possit novare aliquid & efficere.* Cic. 2. de orat. *Diligentia in omnibus rebus plurimum valet, hæc præcipuè colenda est nobis, hæc semper adhibenda, hæc nihil est, quod non assequatur, qua una virtute omnes reliquæ virtutes (oratoris scilicet) continentur.* Senec. in Epist. *Non est viri timere sudorem.* Q. Curtius: *Nobilis equus umbra quoque virgæ regitur; ignavus ne calcari quidem concitari potest.* Plinius: *Eum tamen, qui bene habitet, sæpius ventitare in agrum, frontemq́; domini plus prodesse, quàm occipitium non mentiũtur. Et ideo majores fertilissimum in agro oculum domini esse dixerunt.* Re-

gula est. *Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora*. Sic. *Qui ad utrumq; festinat neutrum bene peragit*. Iuxta tritum versiculum:

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Ennius:

Ne quicquam expectes amicos, quod agere tu per te potes. Virgil. 1. Georg.

---Labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egestas.

Horat. de arte Poet.

Qui studet optatam cursu contingere metam
Multa tulit, fecitq; puer, sudavit, & alsit.

Ovid. 3. de arte amand.

Casus ubiq; valet, semper tibi pendeat hamus
Quo minimè credis gurgite piscis erit.

Mantu.

Cura viris gravibus rerum solet esse suarum.

Ab hac virtute discrepat negligentia, quæ necessarios labores fugit, & susceptos imperfectè, & tardè exequitur. Deinde discrepat curiositas, quæ suis non contenta alienis negotiis se immiscet, nec desinit in metis sibi constitutis.

De constantia.

Cap. XXIX.

Constantia est magnanimitas, qua invicto animo gerimus, quod necessario

rio accepimus, & bona conscientia agere possumus.

Estq; patientia, aut fortitudo.

Omnibus fortunæ telis expositam esse vitam nostram tam verè à Cicerone dictum est, ut nec summus monarcha valetudinis bonitatem, animi tranquillitatem, perpetuum in divitiis successum & denique constantem autoritatis & popularis favoris durationem certo sibi promittere possit. Cum igitur nemo à periculis immunis sit, nec possit aliquis ante obitũ verè beatus dici; laborat hæc virtus, ut ad mala perferenda nos præparet, & armet, ne periculis succumbentes contra rectam rationem peccemus. Primo autem requiritur, ut animus sit invictus, qui licet adversis, quod humanum est, affligatur, se tamen erigat, & luctando cum malis superior evadat. Secundum est, ut nobis caveamus, ne malis non necessariis nos obiiciamus, aut sponte pericula nobis, aliisque molesta attrahamus. Tertium est, ut magnitudini animi non nimis fidamus, iisque nos oneremus, quæ in animis nostris scrupulum aliquando relinquere, nosq; extra metas nostræ vocationis currentes perturbare possunt. De hac virtute Livi. lib. 5. Deca. 5. *Is demum vir erit, cujus animum nec prospera flatu suo, nec adversa infringent.*

De patientia.

CAP. XXX.

Patientia est constantia, qua mala, quæ utiliter, & honestè depelli non possunt, invicto animo ferimus.

Illustris patientiæ exemplum Hiob præbet, qui tot malis gravissimis oppressus benedictum Deum prædicat, qui dedit, & abstulit.

David à filio suo Absolone in exilium pulsus in Simejum incidit, qui acerbissimis conviciis illum proscindit, glebisq; petit, quod videns dux Abisai cupit sibi permitti, ut morte hunc calumniatorem plectat. Sed David agnoscens sua peccata magno animo calumnias illas, ut pœnam meritam, & divinam vindictam perfert, liberumq; Simejum dimittit.

Socrates interrogatus, quare præter morosissimam suam Xantippen adhuc aleret alteram conjugem satis difficilem, & neutram dimitteret, respondit: se ex his privatim discere patientiam, qua in publico uteretur.

Tres Tyranni Caligula, Claudius, & Nero multos præstantes, & bonos viros sustulerunt, quorum tyrannidem cum quidam evitasset senex in illorum aulis factus, & interrogatus esset, qua ratione ex tot periculis, & tyrannorum insidiis se expediisset, respondit: injurias accipiendo, & insuper gratias agendo.

Agis

Agis ultimus rex Lacedæmoniorum ex insidiis captus, & indicta caussa ab Ephoris condemnatus, cum ad laqueum duceretur intuitus quendam ex ministris flentem, Desine, inquit, ô homo propter me flere. Nam adeo iniquè & injustè moriens potentior sum iis, qui me interficiũt. & cum hoc dixisset, ultro collum laqueo tradidit.

Mauritius Imperator cum jam incidisset in manus Phocæ tyranni, nec posset ullo modo vitæ periculum evitare, conspiceretq́; liberos suos cum conjuge interfici, antequam decollaretur, ut patientiam suam declararet, aliquoties illud Psalmi repetiit: Justus es Domine, & justum judicium tuum.

Cato Iunior cum per loca Libyæ arentia cum exercitu iter faceret, totusque exercitus vehementi siti premeretur, miles quidam aquam in galea Catoni obtulit, quam tamen gustare noluit, ne exercitui sitim magis accenderet. Maluit igitur, illa in conspectu omnium effusa, singulos ad patientiam adhortari, quàm bibẽdo aliis in tanta potus & aquarum penuria appetitum excitare. In simili casu Alexander Magnus, Rudolphus primus Imperator & Alphonsus rex Siciliæ patientes fuerunt.

Fridericus Barbarossa fortissimus Imperator videns se non posse absque detrimento reipub. & sine difficilimis & diuturnis bellis filium liberare, patienter se fastuosissimi & insolentissimi Pontifi-

cis pedibus subjecit, ut publicæ tranquillitati consuleret.

De Germanorum patientia vulgatus versiculus loquitur:

Germani possunt cunctos perferre labores.

Tacitus in senatu Lucio Metello maledicenti sibi: Facile est, inquit, in me dicere, quia ego respõsurus non sum. Potentia ergo tua, non mea patientia accusanda est.

Diogenes cum illi dixisset quidam, Vituperant te multi: Oportet, inquit, sapientiam ab insipientibus feriri, esse meliorem indicat mala lingua, quẽ carpit.

Thrasybulus cum patriam suam Athenas à tyrannide liberasset, & deprehendisset bona exulum ad alienos dominos hæreditario jure, aut emptionibus, aut dotibus, aut aliis modis esse translata, nec sine maxima reipub. & communis tranquillitatis perturbatione repeti posse; legem de ἀμνηστία sanxit, qua cautum fuit, ne quis alteri ob erepta bona bellum moveret, aut dicam scriberet, sed potius tranquillitatis publicæ caussa mala sibi inflicta patienter ferret, & oblivioni omnes injurias traderet. Sic pax, & tranquillitas reipublicæ restituta est, ut Athenæ respirarint, & paulatim virtute Thrasybuli & Cononis rursus erectæ sint.

Scipio amoris naturalis & patientiæ exemplum est. Videns enim se non posse injuriis tribunorum sine bello civili resistere, maluit urbe cedere,

dere, quàm patriæ periculum creare, & his verbis ingratitudinem patriæ objiciens abiit: O ingrata patria, nec oſſa mea reliqua habes.

Patientia in moleſtiis, & periculis perferendis occupata eſt. Ut autem ſecundum rectam rationem agat, benè monet, vitanda eſſe pericula non neceſſaria, aut ſi jam adſunt, depelli quidem poſſe, ſed ita ut honeſtè id fiat. Si enim mala ſunt ejuſmodi, ut non ſine infamiæ nota, aut etiam ſuſpicione ejus declinari poſſint, longè tolerabilius eſt moleſtias quaſcunque devorare, quàm minimam famæ jacturam facere, juxta tritum verſiculum:

Omnia ſi perdas famam ſervare memento.

Ludum enim non patitur fama, fides, oculus. Deinde expendendum eſt, num conducat pericula propellere. Multa enim mala ſunt, quæ quidem propulſari poſſent, ſed ita, ut longè graviora, & perículoſiora attrahãtur. quod Pericles luculenter teſtatur, qui odio Megarenſium perſuadens Athenienſibus, ne Lacedæmonios audirent, qui edictum de Megarenſibus non ſine injuria factum abrogari volebant. Poſſe enim fieri, ut Lacedæmonii graviora imperarent, ſi in re parva cederent. Hoc conſilio bellum Pelopõneſiacum toti Græciæ pernicioſum, & exitiale excitavit. Cum igitur in tali caſu nihil niſi camarina movetur; virtutis Dianoëticæ ſuaſu patientia, non fortitudine utendum eſt. Atque ut animus ad mala

perferenda ſit promptus, & magnus, nõ molli, & delicata educatione enervandus eſt, ſed laboribus, inedia, frigore, duro cubili, & ſimilibus à teneris annis indurandus eſt, ut & graviora, ſi opus eſt, invictus ſuperare poſſit. De hac virtute Proverb. 14. *Qui patiens eſt multa gubernatur ſapientia: Qui autem impatiens eſt, exaltat ſtultitiam ſuam.* Proverb. 16. *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium.* Proverb. 19. *Doctrina viri per patientiam noſcitur, & gloria ejus eſt iniqua prætergredi.* Cic. Philip. 11. *Majoris eſt conſilii providere, ne quid accidat, ſed animi non minoris fortiter ferre ſi quid evenerit.* Cicer. 4. fam. 9. Epiſt. *Tempori cedere, id eſt, neceſſitati parere ſemper ſapientis eſt habitum.* Cic. 6. fam. 1. Epiſt. *Nihil in vita nobis præſtandum præter culpam, eaque cum caremus; omnia humana placatè, & moderatè feramus.* Cic. 6. fam. 6. Epiſt. *Levat dolorem communis quaſi legis, & humanæ conditionis recordatio.* Cic. 2. Tuſcul. *Qui id quod vitari non poteſt metuit, is vivere quietè nullo modo poteſt.* Ibid. *Omnino omnes clari, & nobilitati labores contemnendo fiunt etiam tolerabiles.* Cic. 3. Tuſcul. *Nihil eſt, quod tam obtundat, elevetque ægritudinem, quam perpetua in omni vita cogitatio, nihil eſſe, quod accidere non poſſit. Omnia enim repentina, nec opinata graviora.* Senec. lib. 5. de benef. *Ingentis animi eſt, tamdiu ferre ingratum, donec feceris gratum.*

tum. Senec. lib. 2. de ira. *Potentiorum injuriæ hilari vultu, non patienter tantum ferendæ sunt.* Senec. libr. 3. de ira. *Contumeliarum patientia ingens instrumentum ad tutelam regni.* Senec. lib. 1. de tranquil. vitæ: *Nihil tam acerbum est in quo non æquus animus solatium inveniat.* Sen. in Epist. *Magna res est, & diu discenda, cum adveniat hora illa inevitabilis æquo animo abire. Dies iste, quem tanquam extremum formidas, æterni natalis est.* Ibid. *Optimum est pati quod emendare non possis.* Senec. lib. 3. natur. quæst. *In secundis nemo confidat, in adversis nemo deficiat, alteræ sunt vices rerum.* Senec. lib. de morib. *Libenter feras, quod necesse est, dolor patientia vincitur.* Livi. lib. 3. Deca. 3. *Notissimum quodq; malum maximè tolerabile est.* Q. Curt. lib. 5. *Optimè miserias ferunt, qui abscondunt.* Cic. 4. Tuscul. ex Eurip.

Neq; tam terribilis ulla fando oratio est,
Neq; sors, neq; ira cœlitum invectum malum,
Quod non natura humana patiendo ferat.

P. Mimus: *Cuivis dolori remedium est patientia.* Idem: *Feras non culpes, quod mutari non potest.* Idem: *Fer difficilia, ut facilia levius feras.* Idem: *Honestè servit, qui succumbit tempori.* Plaut. in Pseudo. *Bonus animus in re mala dimidium est mali.* Terent. in Andr. Act. 2. scen. 1. *Quoniam id fieri quod vis non potest, velis quod possit.* Idem in Hecy. *Multa ex quo fuerint commoda, ejus incommoda æquum est ferre.*

Senec.in Thyeste,

Leve est miserias ferre, perferre grave.

Senec.in Thebai.

Patiare potius ipse, quàm facias scelus.

Ovid.4.de Ponto,

--Leve fit, quod benè fertur, onus.

Idem lib.3. Amo.

Perfer, & obdura, dolor hic tibi proderit olim.

Auson.

Crux est, si metuis vincere quod nequeas.

Eoban.3.lib.Heroi.

Ferre decet patienter onus, quod ferre necesse est:
Qui jacet invitus, durius ille jacet.

Plaut. in Per.

Animus æquus optimum est ærumnæ condimentum.

Horat.lib.1.Carm.

Durum sed levius fit patientia
Quicquid corrigere est nefas.

Sene.in Epist. *Non mirum est in tranquillitate non concuti: illud mirare, ibi extolli aliquem, ubi omnes deprimuntur: ibi stare, ubi omnes jacent.* Cum hac virtute digladiatur impatientia, qua leuissimis etiam malis tacti fremimus, eaque, quocunque periculo id fiat, depellere conamur. Deinde digladiatur lenitudo, qua premi nos patimur iis, quæ honestè, & utiliter depellere possemus.

De fortitudine.

CAP. XXXI.

Fortitudo est constantia, qua malis ingruentibus, & depellendis infracto animo resistimus.

Estq; togata, aut bellica.

Admodum prona est ad vindictam natura humana, nec se premi facile patitur. Prius igitur ad patiētiam assuefacienda est, ne quibusvis periculis temerè se opponat, & objiciat, quàm ad fortitudinem admittitur, & incitatur. Versatur autem fortitudo circa mala jam ingruentia, nec pugnas, & rixas amat, si necessitas non postulat, nulli quoque nisi justis sui defendendi caussis ad certamen excitatur. In hoc, ut infracto animo malis resistamus requiritur, quod ut fiat aras, focos, & libertatem vita nostra cariores ducamus, nec ullum periculum reformidemus, quod pro his subeundū est. De hac virtute August. *Qui vera virtute fortis est, nec temerè audet, nec inconsultè timet*. Bernhard. *Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate.* Cic. 1. offic. *Fortes, & magnanimi habendi sunt, non qui faciunt, sed qui propulsant injuriam*. Cic. *Fortitudo cum ad aspera ineunda pronum faciat; potius communem utilitatem, quàm sua commoda attendit. Sicut enim scientia remota justitia calli-*

ditas potius, quàm sapientia appellanda est; sic animus ad periculum paratus si sua cupiditate, non communi utilitate impellitur; temeritatis potius nomen habet, quàm fortitudinis. Cic. 4. Tuscul. *Iracundia cos fortitudinis.* Cic. 3. de legib. *Vi opprimi in bona caussa est melius, quàm malè cedere.* Port. Latro. *Gravissimi sunt morsus irritatæ necessitatis.* Livi. lib. 5. Deca. 1. *Pro aris focisq; & Deûm templis, ac solo, in quo nati sumus, dimicandum.* P. Mimus. *Veterem ferendo injuriam invitas novam.*

De fortitudine togata.
CAP. XXXII.

Fortitudo togata est fortitudo, qua injustos adversariorum nostrorum conatus legum auxilio depellimus.

Henricus auceps Imperator cum sub initium sui Imperii Arnolphum Bavariæ ducem ut competitorem adversum haberet, cum exercitu quidem ei obviam proficiscitur, nec tamen prius armis rem tentare voluit, quàm legitimam electionem ei in colloquio ostendisset. Evocat igitur ad se Arnolphum publica fide, eique exponit, quod non rapuerit Imperiũ, sed consensu, & votis principũ Imperator designatus sit, seq; libenter ei cessurum esse, si principes eum Imperatorem vellent, nec tanti se facere istam majestatem, ut propter illam publi-

publicã pacem perturbare velit. Hac legitima defensione Arnolphus motus arma deposuit, & amicitiam cum Henrico junxit, quam utrinque nuptiis filiorum & filiarum confirmarunt.

Otto secundus Imperator patre mortuo citra cujusquam adversationem facilè imperium obtinuisset, nisi se ei Henricus dux Bavariæ patruelis opposuisset, quem tamen ad dicendam caussam accersivit, & sine armis vi legum coegit pacem petere deposito imperii titulo, quem usurpauerat.

Conradus tertius Imperator obsessus est ad Augustam ab Henrico superbo, qui insignia imperii à socero Lothario accepta vi apud se retinuit, titulumque imperatoris simul tumidus potentia sibi adscripsit, cumque frustra pax tentata esset, & Imperator videret se viribus inferiorem ad dimicandum minimè paratum esse proscriptionem cogitans Wirceburgum evasit, & de sententia principum publicata proscriptionis formula copias Henrici dissipavit, sociósque ejus ad desertionem impulit.

Fridericus Barbarossa Imperator bellum gerens in Italia, & imperii majestatem fortiter defendens turpiter desertus ab Henrico Leone in tantum discrimen venit, ut ex equo dejectus diu sit desideratus. Hanc perfidiam ut ulcisceretur Imperator exercitu ducibus commisso clam in Germaniam profectus est, & conventu principum frequenti eum accusatum suffragio cunctorum

proscripsit, vicinisque ut non tantum ditione, sed tota Germania pelleretur præcepit, quo facto tumidum ejus, & insolentem animum fregit, & maxima ditionis parte exuit.

Georgius Fridericus Marchio Brandenburgensis potens quidem princeps est, & facile posset non tantum suis subditis, sed etiam vicinis molestias parere: qui tamen amore justitiæ nullis sumptibus parcit, ut res, quæ vel à subditis, vel ab aliis in controversiam vocatæ sunt, legitimè dijudicentur. Mavult enim legibus ab injuria alienissimis, quàm armis longam malorum seriem nectentibus vincere.

Henricus Lucelburgensis Imperator Robertum Apuliæ regem Gibellino nomini infensissimum, & Florentinos in Imperatorem instruentem ad dicendam caussam citavit. cumque comparere recusasset, tanquam contumacem per sententiam Apulo, & Campano regno privavit, sed tamen infecto pane sacro Beneventi per monachum à Florentinis cõductum necatus quod sancitum erat exequi non potuit.

Rudolphus primus Imperator repetens à principibus, quæ per vim tempore interregni occupaverant, spretus est. Ne autem vim prius, quam omnia moderata, & tuta consilia experiretur, quanquam contumelia affectus, tamen per legatos insuper repetivit ab Ottocaro Bojemo Austriam, ab aliis alia. Hæc justa postulata cum illi superbè & contumaciter recusarent, & ad tertia

comi-

comitia contumaces frustra citati essent, arma sumpsit.

Cum bellum inexpertis dulce sit, cui tamen nullam salutem inesse certo experiuntur; tutis prius consiliis, & fortitudine togata, quàm armis res tractanda est, si modo occasio ita fert, ut legum auxilium implorari possit. Est autē hæc virtus in reprimendis injustis adversariorum nostrorum conatibus occupata, nec permittit ut lupum Æsopicum imitantes caussas fingamus, quibus insontes, & quietos opprimamus, aut illis ęgrè faciamus, quocunque etiam juris prætextu id fiat. Huc spectat juramentum calumniæ, quo judex litigantes adigit, ut nō nisi justa agendi, aut dubitandi caussa persuasi in judicium veniant. Cum enim præstantissimarum rerum abusus sit longè maximus, optimè cautum est, ne quis legibus ad stabiliendam, & confirmandam justitiam latis justos premat, aut argento emūgat. Quare & hæc virtus injustis adversariorum conatibus se opponit, quibus religio, libertas, vita, & bona aliorum hostiliter petuntur, eosque legum auxilio depellendos esse rectè censet. Hic autem legum auxilium non strictè accipiendum est de legibus tantum civilibus, sed etiam de qualibet justa legitimi magistratus ope, & sententia, quæ legis vim nanciscitur ex illa autoritate, quæ divinitus magistratui concessa est, & longe splendidissima existit, si in-

tra justitiæ fines se modestè continet, & ea, quæ à legibus, & à jure civili proficiscũtur, ad facilitatem, æquitatemq́ue aptè scit referre, malisq; oppressis justam bonis defensionem præstat. De hac virtute regula est: *Non videtur alteri injuriam facere, qui suo jure utitur.* Senec. lib. de moribus. *Pacem cum hominibus habebis, cum vitiis bellum.* Ab hac virtute distat nimia placabilitas, qua injustissimos, etiam nostrorum adversariorum conatus neglecto legitimi magistratus auxilio in actum non sine nostro periculo deduci patimur. Hanc ut colophonem dilectionis Christianę Christus Matth. 5. disputationi addit, quam de integritate Christiana habet, nec potest hoc nomine inter vitia recenseri. Cum autem ad istam perfectionem in hac vitæ humanæ imbecillitate pervenire nequeamus; per septimum Decalogi præceptum, & magistratus constitutionem Deus nobis concessit legitimam nostri, & nostrorum in foro defensionem. Deinde distat studium altercandi, quo quascunque malas caussas juris pretextu fovemus, aut caussas fingimus, ut in iudicium veniamus, & bonis periculum creemus, aut sumptibus molestias pariamus.

De fortitudine bellica.

CAP. XXXIII.

Fortitu-

Fortitudo bellica est fortitudo, qua legum auxilio destituti injuriam notoriam nobis, nostrisq; imminentem externa vi propulsamus.

Carolus Magnus Imperator fortissimus, ut penè collapso imperio opem ferret, illudque restitueret, & fortiter defenderet, Aquitanos rebelles subjugavit: Desiderium Longobardorum regem bellum Italiæ, & Galliæ moventem cepit: Saxones imperii finibus, & religioni infestos partim debellavit, partim mansuetudine, & religione vicit, & mitigavit: Sarracenos, qui Hispanias occuparant, & Galliam aliquoties infestis armis tentarant, repulit, & partim subjugavit. Reliquias Longobardorum in Italia tumultuantes repressit: Tassilonem regem Bojorum, qui Desiderium regem Longobardorum socerum suum ex captivitate liberare conabatur, ut pacem peteret, coegit, & deinde bellum renovantem è regno ejecit, & monasterium unà cum filio Dedone ingredi jussit: Hunnos, & Avaros, qui ex fœdere & pacto cum Tassilone regnum Bojorum depopulari cœperant, octo annorum continuo bello debilitavit, & tandem edomuit: Godefridum Danorum regem bellum moventem rejecit: tumultus Romæ excitatos Pontifice restituto sedavit. In plerisque bellis feliciter usus est opera Rolandi sorore sua, & comite Milone prognati.

Ludovicus & Carolus cum viderent injustè

sibi regnum avitum eripi ab Imperatore Lothario fratre, & legitimis defensionis mediis destituerentur, bello fratrem persecuti sunt, donec transactione principum justior hæreditatis relictæ partitio instituta est.

Henricus Auceps cum accepisset imperium, mox in id incubuit, ut motibus intestinis sedatis Germaniam pacaret, Henetos, qui Saxones, & Thuringos vicinos perpetuis incursionibus, & prædationibus infestabant Brandeburgo belli arce expugnato edomuit, Germonem regem Danorum devicit, & huic genti Marchiam Schlesvicensem præsidio firmatam opposuit. Hungaros qui finitis novennalibus induciis reversi Saxoniam hostiliter aggrediebantur ad Mersburgum memorabili prælio vicit, quadraginta millibus eorum cæsis, reliquos fuga elapsos tota Germania exegit.

Otto Magnus Imperator tam difficilia & periculosa gubernationis initia habuit, ut tota Europa in perniciem hujus Imperatoris conspirasse visa fuerit. Tanguardus ex concubina frater copiis Eberhardi Ducis Franconiæ, & Giselberti ducis Lotharingiæ instructus motus intestinos excitavit, quos sedavit Brandeburgensib. sese dedentibus, cum Tanguardus à militibus esset interfectus. Boleslaum ducem Boemum in annum decimum quintum bellum, quod in Ottonem moverat, producentem diuturnitate fregit, ut se in fidem Imperatoris tradiderit, Eberhardum ducem Fran-

Franconiæ cum Henrico Imperatoris fratre, & Giselberto Lotharingo conspirantem ad Rhenum fudit, & fugavit. Deinde Ludovicum transmarinum regem Galliæ in auxilium accitum, & spem recuperandæ Lotharingiæ foventem, cum Alsatiam invasisset regredi coëgit, Eberhardum ad Andernacum oppidum in acie cecidit, Giselberto in Rheno submerso, & Henrico in fugam conjecto; Hugonem comitem Parisiorum capto regi Ludovico regnum Franciæ conantem eripere, & insolenter minitantem Germaniæ ad urbem Parisiorũ graviter afflixit, & ad petendam pacẽ adegit: Berengarium tyrannide Italiam prementem, & captivam Lotharii regis Italiæ viduam tenentem vocatus à Pontifice Romano Iohanne duodecimo, & exulibus Italis cepit, & in Germaniam abduxit. Filiũ Ludolphum, & Conradum Sapientem generum rebelles superavit. Hungarorum maximas, & instructissimas copias per Bavariam in Germaniam irrumpentes non procul ab Augusta ferè ad internecionem cecidit, perpaucis captis. Danos, qui legatis Imperatoris, & Marchione Schlesvici obtruncatis Coloniam Saxonum funditus deleverant magno prælio ad Schlesvicum devicit, regemq; eorum Haroldum fidem Christianam accipere, & imperio se subdere coëgit. Pontificem Romanum Iohannem duodecimum urbem Romam ad defectionem post præstitum Imperatori juramentum, & Albertum Berengarii filium in Imperatorem incitantem

capta urbe, ex qua cum Alberto aufugerat, & Synodo celebrata de Pontificatu dejecit, & in ejus locum Leonem octavum suffecit. Posthæc Romam propter perfidiam bis cepit, & tredecim, quos principes consilii de capiendo Pontifice fuisse compererat suspendio punivit. Græcos, quod legatos ejus violaverant, castigavit.

Otto tertius Imperator Crescentium usurpata consulari vel tribunicia potestate Romæ tumultuantem, & Pontificem ejicientem cum exercitu ad urbem adveniens repressit eique in urbem admissus ignovit. Sed cum in Germaniam redire constituisset Crescentius ad ingenium rediit, & ejecto Gregorio Pontificem privata autoritate fecit Ioannem Placentinum hominem prædivitem, instauravit mœnia urbis, & quæ ad defensionem opus fuere comparavit. Hac re comperta quantus potuit itineribus Imperator Romam reversus est, & Crescentium in urbe obsessum cepit, viliq; jumento facie aversa impositum circumduxit per urbem, & tandem longo cruciatu laceratum ad portam cum duodecim aliis seditionis sociis suspendit.

Henricus Quartus Imperator admodum juvenis ducibus Brunone, & Ecberto Marchionibus Saxoniæ exercitum latronum, qui in Saxonia grassabatur, profligavit. Auxilium tulit Salomoni regi Hungariæ, quem Bela regno exegerat, eumq; copiis Belæ fusis in regnum iterũ collocavit, conjuratos Ottonem Bavariæ ducem Episcopum Magdebur-

Magdeburgensem, & Halberstadensem, Magnum, & Hermannum Saxoniæ duces, Udonem primum Marchionem Brandeburgensem, Ecbertum Marchionem Saxoniæ, & alios ad Onestrum Thuringiæ fluvium primo occursu fudit, & in vincula nonnullis conjectis Ottonem Bavaria privavit. Rudolphum Suevorum ducem, & Saxones ad Elystrum Mysiæ profligavit, quo in prælio Rudolphus amissa dextra lethaliter sauciatus est, & mox cum perfidiam suam agnovisset, expiravit. Roma capta biennii obsidione Gregorium Pontificem pōtificatus deiecit, quod in Imperatorem injustè anathematis fulmen emiserat. Ecbertum Saxoniæ Marchionem imperium arripientem per suos satellites trucidavit. Henrico filio se fortiter opposuit, sed tandem iniquitate fortunæ superatus insignia imperii sibi per filium eripi passus est. bis & sexagies dimicasse scribitur.

Fridericus Barbarossa Imperator seditiosæ multitudinis tumultu lacessitus dimicavit cum Romanis civibus in ipsa urbe multis captis pluribus in Tyberim demersis. Arnoldum Moguntinum Episcopum, & Hermānum Palatinum privatis inter se dissidiis totam ad Rhenum Germaniam commoventes compescuit. Poloniæ regem ob non soluta annua tributa coegit armis mulcta bellum redimere, & exercitui, quem in Mediolanenses instruebat, præsidiarios equites adjungere. Mediolanenses perfidos aliquoties superavit, & tandem civitatem evertit. Romanos infelici-

ter ad Tusculum occurrentes fudit cæsis duodecim millibus civium Romanorum, urbémq; primo impetu cepit. Saladini Ægyptii Sultani successibus, quibus Christianis admodum gravis erat, in Asiam evocatus Turcas ad Iconium tribus magnis prœliis vicit, Sarracenicis exercitibus deletis Ciliciam Saladino eripuit.

Rudolphus primus Imperator cum ad tertia comitia frustra contumaces principes, & comites citasset, arma sumpsit primum in Marchionem Badensem, & huic confœderatos in Suevia, Alsatia, & vicinis locis, eosque non magno negotio dissipatos & contusos coegit supplices pacem petere, relictis quæ occuparant. Ottocarum Austriam jam secundum, & vicesimum annum per vim tenentem, nec tantum Imperium Rudolphi detrectantem, sed etiam legatos violantem nonnullis ad portas suspensis bello aggressus est, & Henrico Bavaro primo anno devicto Austriam omnem in deditionem accepit excepta Vienna, quam obsidebat, amicorum tamen intercessione Ottocarum in gratia apud se poni permisit. Eundem deinde contra pacta, atq; conventa instinctu, ut fertur, conjugis de Austria bellum redintegrantem victum interfecit. Burgundiam ad defectionem inclinatam, ac nutantem confirmavit. Helvetios Allobrogum duci subditos compescuit, & à latrociniis passim Germaniam repurgavit. Ad Wetzflariam in Cattis cepit, & cremavit quendam, qui se mentitus Fridericum ducem Sueviæ

Rhe-

Rhenanas aliquot civitates conciverat in Imperatorem, sollicitatas ad defectionem, seque harum auxilio ad repetendam Sueviam accinxerat: in Thuringia supra septuaginta munitas arces latrociniis infames diruit, ac delevit.

Carolus Quintus Imperator multa bella gessit, & in omnibus, in quibus verè ἀμυνόμενος fuit, hostes suos feliciter debellavit. In reliquis vero, in quibus non tam justam bellandi caussam habuit, minus feliciter pugnavit.

Germanorum fortitudinem bellicam Tacitus hoc brevi elogio illustrat: Nemo bellum Germanis intulit impunè. Et Sene: Romanis pax est usq; ad Germanos.

Johannes Hunniades Comes Bistriciensis cum Amurathes bello Ladislaum peteret multos Turcorum exercitus delevit, & Serviæ partem, ac Muldaviam totam recepit. Adversus hunc Amurathes ingentes copias coegerat. Sed Hunniadi subsidio venit Ladislaus, qui sui Achatis consilio progressus superatis profligatisque Turcicis copiis aliquoties, cito maximam partem Serviæ, & Bulgariæ victricibus armis percurrit. Hunniades in eo bello uno die quinquies cũ Turcis aperto Marte congressus quinque victoriis partis, ut colophonem prioribus adderet splendidissimum, sub noctem Anatoliæ Bassam Amurathis affinem ingenti ausu temerè, & improvidè Hunniadis fortunæ sese objicientem ita contrivit, ut triginta Turcorum millia ad internecionem ceciderit.

Deinde Carambejum Bassam in Hæmi montis vallibus nimio vindictæ desiderio incautius irruentem Ladislaus Hunniadis providentia ita excepit, ut inexpectata celeritate obrutum, ac circumdatum ceperit, copiis illius universis partim jugulatis partim disjectis.

Georgius Castriotus, Scanderbejus dictus, insigni astu regnum paternum Amurathi abstulit. In hoc defendendo occupatus septem Ottomannici nominis experientissimos rei bellicæ duces è purpuratorum Bassarum ordine missos cum instructissimis, & exercitatissimis veteranorum militum copiis ad se opprimendum acie devicit, castris exuit, & tota Epiro depulit. Tandémque Amurathem ipsum cum ingentibus copiis, & mirifico tormentorum bellicorum apparatu tentantem oppugnationem Crojæ urbis detrimentis maximis affectum coegit obsidionem solvere. Narrant etiam nunquam eum pugnam detrectasse, nunquam terga vertisse, nunquam vulneratum esse, nisi levi sagitta in pede, nec hostibus plus, quàm sena equitum, terna peditum millia opposuisse, & sua manu supra duo hominum millia barbarorum præsertim jugulasse tanto ictuum impetu, ut multos per medium dissecuerit transversim ad umbilicum usq;.

Græci numerosissimum Xerxis exercitum, ut verè ἀμυνόμενοι, *quatuor præliis intra biennium tota Græcia expellunt. Prima pugna ad Artemisium navalis, & non magna, felix tamen fuit, &*

erexit

erexit Græcorum animos. Secundo pugnatum eſt ad Thermopylas in faucibus, ubi trecenti Lacedæmonii, quadringenti Thebani, & Theſpienſium mediocris numerus trucidarunt in exercitu Xerxis viginti millia, ſed & illi ſimul occubuerunt. Tertio ad Salaminem inſulam Græca claſſis 378. navium toto die prælians Perſicam, quæ multo major fuit diſſipavit, ut Xerxes poſt paucos dies fugiens redierit in Aſiam. Quarto terreſtri prælio Mardonius ad Plateas pugnans victus, & trucidatus eſt, & Græcia toto bello Perſico liberata.

Dionyſius cum ad Platonem diceret, Eſt aliquis, qui te capite plectet, & Xenocrates ejus diſcipulus hoc audiret, reſpondit: Hoc nũquam permittam, niſi prius & mihi caput ab illo præcidatur.

Cyrus junior cum in prælio quodam à Clearcho admoneretur, ut poſt principia conſiſteret, reſpondit, Clearche túne me ad regnum aſpirantem indigna regno jubes committere?

Scipio adoleſcens cum tribunus militum eſſet in Cannenſi pugna, & multi nobiles Romani poſt infelicem congreſſum deliberarent de deſerenda Italia, ipſe interveniens coegit eos jurare ſe non deſerturos eſſe patriam, & ſi quis nollet jurare necem ei minitatus eſt.

Veriſſimum eſt, quod apud Salluſtium in bello Jugurthino Metellus per legatos Bocho regi Mauritaniæ inſinuat, Omne bellum ſumi

facile, cæterum ægerrimè desinere, nec in e-
jusdem potestate initium ejus, & finem esse: incipere cuivis, etiam ignavo licere, non deponi, nisi cum victores volunt. Et illud Pindari, civitatem quemvis commovere posse, sed ut in tranquillum constituatur neminem sine auxilio Dei posse. Præterea nullam salutem bello inesse experientia exploratissimum est. Cum igitur nullum bellum sit, quod non plurimis malis refertum sit, & eventu, exitúque incertum; rectè monet definitio hujus virtutis, ut non temere bella suscipiantur, sed tum demum, cum legitimo magistratus, & legum auxilio caremus, nec per horum justam sententiam defendi possumus. Deinde requiritur, ut injuriam notoriam nobis nostrisque imminentem allegare possimus. Non enim medicina morbo gravior sit, quæ à natura concessa est, ut mala minuantur, non ut augeantur, & multiplicentur. Non igitur levibus injuriis lacessiti arma arripiamus, & tristibus, aut diuturnis malis occasionem præbeamus, sed istiusmodi violentis remediis non nisi in enormibus, & desperatis morbis utamur. His ita ingruentibus externam vim exponendam esse statuitur, qua non tantum bellorum justi apparatus, & copiæ militares significantur, sed quælibet manifesta vis; qua hostiles machinationes frangi, & averti possunt. Ad externam vim in bellis augendam ducis forti-

tudo

tudo plurimum prodest, quod Demades orator testatur, qui post mortem Alexandri videre se dixit exercitum Alexandri Polyphemo excæcato similem esse. Et Chabrias, qui formidabiliorem esse exercitum cervorum duce leone, quàm exercitum leonum duce cervo dicebat. In delectu indicia fortis animi notentur, & semper laboribus assueti otiosam vitam agentibus præferantur. Non enim refert, quam grandes, sed quàm fortes milites habeas. Innumerabilis exercitus non tam probatur, quàm exercitatus. Ille enim non tam feliciter, quàm hic regitur, & in ordinem redigitur: ille facilius fame premitur, & expugnatur, hic facilius alitur. Hinc Agis rex Lacedæmoniorum solitus est dicere: Non oportet percontari, quot sint hostes, sed qui sint. Idem interrogatus, quot milites haberent Lacedæmonii, respondit, Quot satis sunt ad propulsandos hostes. Sic Alexander Magnus certior factus Darium triginta myriades in exercitu habere dixit: Unus coquus non metuit multas oves. Deinde cum percunctatores indicarent exercitum Darii longè esse numerosiorem ejus exercitu, respondit: Oves etiam plures ab uno atque altero lupo dissipantur, & diripiuntur. Tutius est stratagematis hostes tentare, & discordiarum facibus subditis turbare, quàm dubio Marte pugnare, cum civili odio nihil ad cladem exercitus sit efficacius.

Aciem ordinaturi nõ eam ſoli, pulveri, & ventis adverſis exponant. Clamore militari non prius exercitus debet fatigari, quàm cum prælium jam ineundum eſt. Prodeſt etiam defendere eos, qui commeatum advehunt. Huc ſpectat illud Ciceronis in 5. Tuſcul. Qui non laborat, ut charus militibus ſit, animare milites neſcit. Humanitas ducis in exercitu fulmen adverſus hoſtes eſt. Participatus cum duce labor perſuadetur militibus minor. Militares orationes & cohortationes à præſtantiſſimis ducibus utiliter ſemper ſunt habitæ. De hac virtute Auguſtin. *Apud veros Dei cultores etiam bella patrata ſunt, quæ non cupiditate, aut crudelitate, ſed pacis ſtudio geruntur, ut mali coerceantur, & boni ſubleventur.* Idem in libr. de quæſt. *Cum juſtum bellum ſuſcipitur; utrum apertè quis pugnet, an ex inſidiis nihil ad juſtitiam intereſt.* Ambroſ. de offic. *Fortitudo, quæ per bella tuetur à barbaris patriam, vel defendit infirmos, vel à latronibus ſocios, plena juſtitia eſt.* Cic. pro Milo. *Eſt enim hæc non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus, ut ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, in tela, aut latronum, aut inimicorum incidiſſet; omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis. Silent enim leges inter arma, nec ſe expectari jubent, cum ei, qui expectare velit*

ante

ante injusta pœna luenda sit, quàm justa repetenda. Ibid. *Sin hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim quacunque ope possent à corpore, à capite, à vita sua propulsarent: non potestis hoc facinus improbum judicare, quin simul judicetis, omnibus, qui in latrones inciderint aut illorum telis, aut vestris sententiis esse pereundum.* Idem 5. Tuscul. *Cum tempus, necessitasque postulant decertandum est manu, & mors servituti, turpitudinique anteponenda. Nam occidi pulchrum est, si ignominiose servis.* Cic. pro Milo. *Si tempus est ullum jure hominis necandi, quæ multa sunt, certè illud est non modo iustum, verum etiam necessarium cum vi vis illata defenditur.* Regula est. *Melius est prævenire, quàm præveniri.* Pub. Mimus: *Heu quàm est timendus, qui mori tutum putat.* Ovid.

Frangit & attollit vires in milite caussa:
Quæ nisi iusta subest excutit arma pudor.

Horat. in Odis:

Vis consilii expers mole ruit sua:
Vim temperatam Dii quoque provehunt
In majus.

Cum hac virtute pugnat tyrannis, qua insontes manifesta vi injustè premuntur, & affliguntur. Deinde pugnat audacia, quæ temerario impetu ad pugnas ruit, iisque extincto fervore animi ut plurimum succumbit.

1. Tyrannis
2. Audacia

LIBER SECVNDVS DE VIRTVTE COMMUNI.

De virtute communi.

CAP. I.

HACTENVS virtus propria exposita est: sequitur virtus communis.

Virtus communis est virtus moralis, qua erga alios nos ita gerimus, ut suum cuiq; exhibeamus.

Estq; virtus officiosa, aut virtus rependens.

Aristotelicæ distributionis pars altera hactenus tractata est in iis, quæ potissimum ad habentem spectant: pars altera virtutes communes complectitur, & monstrat, quid cuique debeamus. Hoc autem quid sit, breviter quidem, sed tamen dilucidè explicatur, dum suum cuique exigitur. quod ut aptè exhiberi possit, cujusvis hominis, quo cum nobis res est, conditio probe expendi debet. Aliud enim debemus superioribus, aliud inferioribus: aliud cognatis & domesticis, aliud exteris: aliud bonis, aliud malis. nec potest vir bonus rectæ

rectæ rationis ductu erga omnes eodem modo affectus esse. Hæc virtus vulgo justitia dicitur, & convenit quodam modo cum descriptione Aristotelica justitiæ universalis. Hanc enim perfectam virtutem dicit, quæ ad alterum refertur. Sed huic virtuti reclamat tritus versiculus:

Justitia in sese virtutes continet omnes.

Ita enim justitia cum virtute morali æquè lata esset, & sub sese virtutes proprias, & communes haberet, vel potius cum virtute dianoëticas & morales virtutes comprehenderet. Sed tamen si accurate examinatur hæc justitia; ad virtutem communem rectius, quàm ad virtutem moralem, aut ad genus generalissimum virtutem scilicet referri potest.

De virtute officiosa.

CAP. II.

Virtus officiosa est virtus communis, qua tantum generoso animo ducti aliis prosumus.

Estq; beneficentia, aut fidelitas, aut amicitia, aut pietas.

Duo in hac virtute recensentur. Primum est, ut benignè aliis faciamus, & ita homo homini Deus sit, Dei naturam bonitate imitando, quod lege naturæ nobis præscriptum esse

Cicero 3. offic. docet. Huc etiam respicit ab ipsa lege naturæ comprobata regula: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Et illud Ovidii:

Conveniens homini est hominẽ servare voluptas
Et melius nulla quæritur arte favor.

Secundum est, quod hujusmodi officium aliis præstitum non recompensandi gratia suscipitur, sed ex generoso, & nobili animo proficiscitur, qui se non aliam ob caussam eminere, & excellere agnoscit, quàm ut aliis prosit.

De beneficentia.

CAP. III.

Beneficentia est virtus officiosa, qua dignum promotione pro viribus nostris adjuvamus.

Estq; gratificatio, aut liberalitas, aut magnificentia, aut hospitalitas.

Insignis commendatio hujus virtutis est apud Strabonem lib. 10. *Mortales tunc maximè imitantur Deos, cum benefici sunt.* Sic Gregor. Nazian. in orat. de cura pauper. inquit: *Fias ærumnoso Deus, misericordiam Dei imitando. Nihil enim æquè divinum habet homo, ut beneficentiam.* Cum igitur summa sit hujus virtutis præstantia, & benefacta Ennius male locata malefacta non ineptè arbitretur; rectè monet

monet hæc definitio, ut dignos promotione obſervemus, ne beneficiis noſtris aliorum malitiam confirmemus, & in perniciem multorum bonorum, vel etiam totius reipublicæ alamus. Deinde monet, ut vires noſtras juſta lance trutinemus, ne inſerviendo aliis nos ipſos, noſtroſque penitus perdamus, aut promovendos miſerè deceptos, opeque, & conſilio, tum cum maxime illis opus eſt, deſtitutos deſeramus. Etenim hujuſmodi beneficio magis affligitur, & læditur, quàm juvatur, qui promoveri debet. De hac virtute Proverb. 11. *Anima quæ benedicit impinguabitur, & qui inebriat, ipſe quoque inebriabitur.* Proverb. 19. *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei.* Senec. lib. 1. de benefic. *Unum benè poſitum beneficium multorum amiſſorum damna ſolatur.* Senec. lib. 4. de benefic. *Ingratum eſt beneficium, quod diu inter manus dantis hæſit, quod quis ægrè dimittere viſus eſt, & ſic dare, tanquam ſibi eriperetur. Gratiſſima autem ſunt beneficia parata, facilia, occurrentia, ubi nulla mora fuit, niſi in accipientis verecundia.* Ibid. *Bis dat, qui cito dat.* Ibid. *Omnis benignitas properat, & proprium eſt libenter facientis cito facere.* Regula eſt. *Agris meis ſitientibus alios irrigare nō debeo. Ordinata enim charitas à ſe ipſa incipit.* Item: *Officium ſuum nemini damnoſum eſſe debet.* Item: *Invito beneficium non datur.* P. Mimus. *Bis eſt gra-*

tum, quod opus est, ultro si offeras. Idem: *Beneficium dando accepit, qui digno dedit.* Idem: *Beneficium se dedisse qui dicit, petit.* Idem: *Beneficium sæpe dare docere est reddere.* Idem: *Beneficium dignis ubi das omnes obligas.* Idem: *Habet in adversis auxilia, qui in secundis commodat.* Plaut. in Trinum: *Bene si amico feceris, ne pigeat fecisse: ut potius pudeat, si non feceris.*

Ovid. 3. de Pont.

Gratiaq; officio, quod mora tardat, abest.

Ausonius:

Gratia, quæ tarda est, ingrata est: gratia nãq;
Cum fieri properat gratia grata magis.
Si bene quid facias, facias cito. Nam cito factũ
Gratum erit. ingratum gratia tarda facit.

De gratificatione.

CAP. IIII.

Gratificatio est beneficentia, qua studiis nostris, & officiis laudabiles bonorum conatus confirmamus, ut ad finem sibi benè propositum contendere possint.

Saladinus Ægypti Sultanus cum incredibili successu multos Christianorum exercitus diversis in locis concidisset receptis Hierosolymis, & ferè tota Syria in deditionem accepta; Fridericus Barbarossa Imperator justum, & pium bellum magno

gno animo in tam potentem hostem movit, & perfecit: ut Richardus Angliæ rex belli socius hostem mari adoriretur, qui multas civitates Saladino eripuit, & ut Philippus Franciæ rex pecunias, & copias simul suppeditaret.

Sigismundus Imperator cum à principibus quibusdam bonarum artium osoribus reprehenderetur, quod foveret, & promoveret doctos etiam infimo loco natos, respondit: Cur non faverem & opem ferrem iis, quos natura ipsa præclaris donis, & ornamentis nobilitavit.

Apollonius Alabandensis excellens Rhetor etsi mercede docuit, tamen non patiebatur eos, quos judicabat, non posse oratores evadere, operam apud se perdere; dimittebatq́ue, & ad quamcunq́ue artem putabat esse aptos, ad eam impellere, atq́ue hortari solebat.

Tiberius Hiera, ut Suetonius de claris Grammaticis autor est, tantoperè juventutum erudire studuit, ut tempore Syllæ proscriptorum liberos gratis doceret, & optimis literis, ac moribus imbueret.

Placilla Augusta Theodosii primi Imperatoris conjux tam benefica erga pauperes, & ægrotos fuit, ut visitando, tractando, & curando eos ancillæ magis, quàm principis vicem gesserit.

Populus Juda cum duce suo Amasa, Simei filius Geræ cum sua familia, Mephibosetb, & Barsillai officia sua præstant in reductione Davidis. Popu-

lus Israel certat cum populo Juda de gratificatione erga regem.

Cyrus Persarum rex liberalitate, & gratificatione adeo excelluit, ut dixerit proprium principis officium esse, civitates suas ditare, & felices reddere.

Elisabetha regina Hungariæ, & conjux Ludovici comitis provincialis Hassiæ, & Thuringiæ in historiis celebratur, quod pauperibus ancillando officiosissima fuerit.

Guelphus Bavariæ dux reconciliatus Conrado tertio Imperatori in Palæstinam eum consectatus est. Sic Rogerius Siciliæ rex receptus in gratiam, Imperatorem in Asiam proficiscentem fideliter omnibus rebus juvit & instruxit. Consociavit sese etiam cum Imperatore Ludovicus Franciæ rex, ejusque copias egregiè auxit, & ornavit.

David cum desideraret aquam de cisterna Bethlehem, quæ est juxta portam; irruperunt tres fortes ex exercitu Davidis castra Philistinorum, & haustam aquam attulerunt ad Davidem.

Jacobus Fuggerus cum forte esset Venetiis convenit eum mercator ad paupertatem redactus, petiitque ut sibi bis mille florenos mutuo daret. Fuggerus facilem se præbet, & certo in loco pecuniam numerat. Cum vero ab amicis reprehenderetur, quod homini ignoto tantam pecuniæ summam crederet; subridens respondit: Bene novi hunc

hunc virum, cujus integritatem, & constantiam tantifacio, quanti ullius mercatoris in hac regione.

Lycurgus Spartanorum legislator, ut gratificationem promoveret, usuras omnes sic sustulit, ut nec umbram earum reliquam esse voluerit.

Thrasybulus cum jam compertum haberet triginta tyrannos propter maximam sævitiam in odio esse, parva manu instructus occupavit oppidum Phylen. qua re cognita multi cives cum tyrannis militare, & Thrasybulum impedire recusant. Pausanias rex Spartanus à tyrannis accersitus cum audiisset scelera triginta tyrannorum, & intelligeret Thrasybulum velle societatem cum Lacedæmoniis inviolatam esse; non impedivit ejus reditum. Sic Thrasybulus adjutus ab exulibus dimicavit cum exercitu tyrannorum, trucidavit Critiam, & quosdam ejus collegas, & præconium fecit, se non gerere bellum cum civibus, sed velle, ut patria veteribus legibus regatur.

Spartani cum Thebanos propter officia exulibus Athieniensibus præstita odissent, & à Lysandro inquieto & iracundo homine occasione ex dissidio Phocensium, & Locrorum sumpta incitarentur; bellum moverunt. Cumque Thebani Atheniensium opem implorarent; Thrasybulus memor beneficii Thebanorum suasor est, ut juvarentur, nec minus aliæ civitates auxiliaribus copiis Thebanos, ut justiorem caussam foventes ar-

marunt, quibus Spartanorum vires fractæ sunt, & Lysander oppressus est.

Lacedæmonii prætextu pacis Antalcidæ occupant fraude Cadmeam Thebarum arcem, conjuges, & filias honestorum civium rapiunt, & Thebis expellunt, quos volunt. Pelopidas igitur, Epaminondas cum socii exules eorum justos conatus juvarent, fœdere clam facto magna prudentia, & fortitudine irrumpunt in arcem, & ejiciunt inde Laconicum præsidium aliquot viris interfectis. Deinde cum Spartani exercitu instructi in Bœotiam venirent; Athenienses auxilia mittunt Thebanis, quibus Spartanum regem Cleombrotum non procul ab oppido Leuctra memorabili prælio fundunt, & interficiunt.

Phocenses templum Delphicum diripuerant, & judicium Amphictyonum aboleverant. Hanc malitiam Thebani ulturi cum vires non satis firmas haberent, in belli societatem attrahunt Philippum regem Macedonicum, qui ut Thebanos in caussa justa, & speciosa juvaret, magnum exercitum ex Macedonibus, & Thessalis collectum in loca vicina Bœotiæ adduxit, sineq; prælio Phocenses in servitutē redegit, cum dux eorum Phallæcus non auderet dimicare.

T. Flaminius cum Philippum secundum Macedonem vicisset; in Isthmiis, & Nemeis jussit decretum populi Romani publicè pronuntiari: velle populum Romanum, & T. Flaminium, ut tota Græcia libera sit, & suis legibus utatur.

C. Ju-

C. Julius Cæsar recepta Hispania, & pacatis omnibus perpetuus Dictator creatus est, eo tempore annum ordinavit opera Sosigenis mathematici, quo hactenus universa posteritas usa est, qui & annus Julianus appellatur, cujus rationem perturbatam in bellis civilibus Augustus restituit.

Per Vespasianum Imperatorem Deus restituit formam imperii, ordinem provinciarum, distinctionem exercituum, leges & judicia.

C. Julius Cæsar creatus Dictator in annos decem egit censum, ordinavit judicia, supplevit senatum, & tempora rectoribus provinciarum præscripsit.

Fridericus secundus Imperator atrocibus Pontificis, & Guelphorum injuriis lacessitus cum exercitu in Italiam venit, urbesque Longobardiæ, Æmiliæ, Hetruriæ, Umbriæ plerasque partim deditione spontanea cepit enixè rem adjuvantibus proceribus nobilitatis Italicæ peculiari erga Imperatorem affectione, & studio, odioque superbæ tyrannidis Pontificum, partim vi expugnavit, ac incendiis, & direptionibus deformavit.

P. Scipio Africanus nunquam prius è foro domum reversus est, quàm beneficium apud aliquem posuit, & si quando diem præterire passus est, quo non studiis suis aliquem juvit, conquestus est, se istum perdidisse.

Godefridus Bilioneus Lotharingiæ princeps cum adjunctis sibi fratribus Balduino, & Eustathio expeditionem in terram sanctam veram re-

ligionem promovendi, & contra impios Sarracenos defendendi gratia suscepisset; pium ejus, & honestum propositum probantes accesserunt ad eum cum auxiliaribus copiis ex Germania, Gallia, & Italia Robertus Flandriæ comes è vetustissima Francorum stirpe: Hugo frater Philippi regis Francorum: Robertus Dux Normannorum Anglici regis filius: Boemundus Tarentinorum princeps, Roberti Guiscardi Normanni filius, & plures alii, quorum aliqui terra, aliqui classe ducem secuti se ad Byzantium cæteris conjunxerunt, & numerata sunt sexcenta peditum millia, equitum loricatorum centum millia, qui sponte suis stipendiis tantum pietatis studio militatum profecti sunt.

Adrianus Imperator removit à munere docendi parum idoneos datis alimentis, & magis idoneos præfecit.

Conradus secundus cognomento Saliquus inunctus à Moguntino mox comitantibus eum Regibus Rudolpho Burgundiæ, qui erat Giselæ uxoris avunculus, & Canuto Cimbrorum, Italiam adiit, ut compesceret ad defectionem cupiditate libertatis inclinatos, & Italiæ occupatione confirmaret recenti constitutione traditam Germanis imperii possessionem, ac proclamaretur Imperator.

Albertus comes provincialis Thuringiæ spreta nobilissima conjuge Margareta Friderici secundi filia exarsit amore pellicis tanto, ut etiam

vitæ

vitæ conjugis insidias struxerit, de quibus illa certissimis indicibus edocta ut cederet furoribus & sceleri mariti, & vitæ consuleret hortantibus amicis prudentibus, ac fidelibus consilium cepit de fuga, & Francofurtum evasit, ubi in monasterio virginum post paucos annos mortua est. Videns igitur Ditericus Marchio Mysorum justus & sapiens princeps Alberti fratris licentiam augeri, ad aulam suam Fridericum ac Ticemannum generosissimæ indolis adolescentes Alberto fratri ex Margareta natos vocavit, cum ne spectatores essent flagitiorum patris, tum ut periculo, in quo versabantur eximerentur. Cumque eos paterno animo ad agnitionem & invocationem Dei, & ad virtutem instituerent; Fridericum etiam tyronem secum in castra, & in aciem eduxit, ubi præclara in re bellica fecit tyrocinia commissis præliis cum Anhaldino.

Hanna cum precibus suis filium suum Samuelem à Deo impetrasset; sub manus Heli sacerdotis eum tradit, ut rectius instituatur, & informetur.

Ludovicus Bavarus Imperator videns ab Hungaris, quos Fridericus Austriacus adduxerat, agros devastari, oppida, & pagos diripi, & exuri, turbam imbellem, & inermem trucidari, honestas mulieres, ac virgines rapi, quantum potest properat, contrahit auxilia vicina, armat suos. Accedunt ad eum Johannes rex Bojemiæ, Fridericus Burggravius Noribergensis, & Henricus comes Hennebergensis cum magnis equitum co-

pus ex vicina Francia, & ora Rhenana colle-ctis.

Carolus Quartus Imperator ex Italia in Germaniam reversus conventum egit Principum celeberrimum, & frequentissimum in urbe Metensi: in quo re sapienter & multum deliberata, ac disputata cum præcipuis ordinibus Imperii condit de contractis in unum, atque digestis in ordinem institutis, ac moribus, antiquis, & recentibus ad Imperii decus, ac majestatem, & singulorum pertinentibus legem Carolinam Aureæ Bullæ nomine notam ac celebrem, comprehendentem leges ritusque servandos in electione Imperatoris, ac consulentem, ac caventem potestati, autoritati, ac dignitati ordinum omnium suo loco, pro ratione circumstantiarum.

Hæc virtus studia nostra, & officia regit, quibus aliis prodesse, & grata facere possumus, monétque ut autoritate, consiliis, & officiis nostris non difficiles simus, nosque, si opera nostra opus est, subtrahamus, sed potius cogitemus, nos opibus, & honoribus auctos esse, ut tanquam fideles œconomi miserorum difficultates sublevemus. Et ne malè nostra officia collocentur, subjectum hujus virtutis in descriptione formæ additur, quod videlicet laudabiles bonorum conatus sint promovendi. Recte enim Iuven. sat. 3.

Haud facile emergunt, quorũ virtutibus obstat
Res angusta domi.

& multa præſtantia ingenia, cum promotione deſtituantur, ſtudia deſerunt, nec minus & alii boni viri adverſa multa patiuntur, ex quibus ſe facile poſſent expedire, ſi non ab iis, à quibus minimè impediri deberent, negligerẽtur. Si igitur laudabiles bonorum conatus deprehendimus; nihil jucundius nobis accidere debet, quàm ut opera & cõſilio præſto ſimus, eóſque confirmemus, & regamus, ut non ſine fructu evaneſcant, aut à meta ſibi bene propoſita aberrent. Quilibet autem pręſumitur bonus, donec contrarium probatur, nec minus tota reſpublica, quàm privatæ perſonæ hîc includuntur. De hac virtute, Cic. 2. de nat. Deo. *Majus eſt, certeque gratius prodeſſe omnibus, quam opes magnas habere.* Idem 1. offic. illud Ennii habet:

Homo, qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit,
Ut nihilo minus ipſi luceat, cum illi accenderit.

Idem, de amicit. *Fructus ingenii, & virtutis, omniſque præſtantiæ tum maximus capitur, cum in alterum confertur.* Cic. 2. offic. *Quamobrem id quidem non eſt dubium, quin illa benignitas, quæ conſtat ex opera, & induſtria & honeſtior ſit, & latius pateat, & poſſit prodeſſe pluribus.* Idem 3. de finib. *Impellimur natura, ut prodeſſe velimus quamplurimis, inprimiſq; docendo, rationibuſque prudentiæ tradendis. Itaque non facile eſt invenire, quid quod ſciat ipſe non tradat*

alteri: ita non solum ad discendum propensi sumus, verum etiam ad docendum. Senec. *Sunt quædam nocitura impetrantibus, quæ non dare, sed negare beneficium est. Æstimabimus utique utilitatem potius, quàm voluntatem petentium. Quemadmodum enim pulcherrimum opus est, etiam invitos nolentesque servare: ita rogantibus pestifera largiri blandum, & ineffabile odium est.* Martial.

Sint Mecœnates, non deerunt, Flacce, Marones,
Virgiliumq́ tibi vel tua rura dabunt.

Ab hac virtute discrepat invidia, qua boni impediuntur, ne ad altiora aspirare possint. Deinde discrepat mollis animus, qui ut labores quosvis, ita etiam officia aliis præstanda fugit, & aversatur.

De liberalitate.

CAP. V.

Liberalitas est beneficentia, qua pro loco, & tempore privatim ita donamus, ut sors nostra integra maneat, aliisque, cum opus est largiri possimus.

Alexander Severus Imperator nullum diem præterire passus est, quin gratificatione, aut liberalitate apud aliquem gratiam iniverit, amicis suis sic solitus est sua beneficia offerre. Quid est, quod nihil petis? an me vis tibi fieri debitorem? pete, ne sit, quod de me privatus conqueraris.

Dux

Dux Saxoniæ & Elector Fridericus cum esset magna annonæ caritas; dedit multis suis subditis frumenta. postea à divitibus, & illis, qui potuerunt reddere, idem recepit, cum gratificatio illis sufficeret, reliquis liberaliter omne, quod debuerunt, donavit.

Carolus Magnus Imperator tam liberalis fuit erga pauperes, ut tot mendicos quotidie aluerit, quot mensa capere potuit.

Cimon Dux Atheniensis tam beneficus erga pauperes fuit, ut semper habuerit secum ministros argentum ferentes, quod occurrentibus pauperibus distribueret.

Arcesilas Philosophus cum ægrotantem & simul extrema paupertate laborantem Etesibum visitaret, eumque dissimulare illam deprehenderet; pulvino ejus clam argentum supposuit, quo ille miseriam suam leniret. Hic Philosophus solitus est dicere, se malle liberalitatem, quam auream, argenteamq; supellectilem.

Sigismundus Imperator valde liberalis fuit, qui inter aulicos suos habuit probatæ fidei ministrum, qui diu servierat, sed nullo unquã munere recreatus erat. Hic cum videret Imperatoris equum urinam in aquas profundentem, domini similẽ pronuntiavit. Imperator hæc audiens caussam hujus comparationis quærit. minister aperte respondet: equum humectare locum jam aquis madidum, nec minus Imperatorem ditare jam opibus affluentes neglectis cæteris fidelibus, qui

egeant, Imperator intelligens se festivè accusari, quod nullam bene meriti rationem habuisset, respondet, plerunque fieri, ut regum, & principum beneficia non tam ad dignos, quàm ad eos, quibus fato quodam debentur, perveniant, nec sibi unquam benefaciendi voluntatem defuisse, quod ut illi planius innotesceret certo experimento se declaraturum esse promisit. Non ita multo post otium nactus Imperator duas pixides forma, & magnitudine pares implet alteram auro, alteram verò plumbo servata ponderis æqualitate refertam, eásque ministro proponit, atque ut aurum relicto plumbo eligat, adhortatur. Minister dubius & infelix plumbum arripit, quod cum reserata pixide Imperator vidisset, inquit: Jam certo colligere potes, mihi non beneficam voluntatem, sed tibi fortunam defuisse, nec sufficere dexteritatem judicii, & humanam diligentiam, sed providentiam divinam ad comparandas divitias maximè requiri.

Rudolphus primus Imperator cum viribus parum sub initium sui imperii posset, & benevolentia principum sibi opus fore intelligeret, liberalitate prolixa usus sibi multos devinxit. Atque ut liberalitatem exercere posset fato quodam aliquot familiæ Principum extinctæ terras suas Imperatori vacuas reliquerunt. Henrico Misniæ Marchioni Thuringiam, Friderico Comiti à Zollern Burggraviatum Noribergensem concessit, Aberto filio Austriæ ducatum, Rudolpho filio

filio Sueviam consentientibus principibus tradidit.

Barsillai vir admodum dives, & præstans Davidem in suo exilio necessariis instruit, & alit.

Titus Vespasianus Imperator tam liberalis, & humanus fuit, ut amor, & delitiæ generis humani sit appellatus. Nunquam quidquam petentibus denegavit. Non enim regium esse existimavit erga egenos durum, & tenacem esse.

Jacob obvius factus fratri Esau ducentas capras, viginti hircos, oves ducentas, & arietes viginti, camelos fœtas cum pullis suis triginta, vaccas quadraginta, & tauros viginti, asinas viginti, & pullos earum decem ei obtulit, nec prius acquievit, quàm Esau hoc munus accepit.

Taxiles Indiæ rex Alexandri fortunæ cedens ad eum ultro accessit inquiens: nihil opus esse bello, malle se beneficiis certare. Si sit potentior se daturum esse munera Alexandro: si inferior se gratum fore, si beneficia ab ipso acceperit. Alexander adversus ultro cedentem nihil hostile faciendum esse censuit, dedit, & accepit regia dona, & regnũ eum tenere jussit.

Antipater Cratero filiam dedit nomine Philam, hanc Diodorus sic commendat: Hæc mulier virtute excelluit, seditiones in castris sedavit, sororibus, & filiabus pauperum militum dotes dedit, falso accusatos homines periculis liberavit, sæpe & consiliis ejus in gubernatione pater usus est.

In hac virtute locum, & tempus dandi ob-

ſervandum eſſe præcipitur. Hæ enim circumſtantiæ ſæpe liberaliorem animum extimulant, nonnunquam beneficentię fontem exiccant, ut parum inde ad alios effluat. Laudandum quidem eſt in honeſto congreſſu ſi quis cum paribus æquè liberalem ſe præbet, & in tali loco pecuniam quodammodo negligit. Probandum etiam eſt, ſi quis in periculoſo itinere, aut ad malitioſos delatus paupertatem ſimulat, nihilq́; aut parum erogat. Cum enim nulli officium ſuum damnoſum eſſe debeat, & plus ſibi liberalis in tali caſu vel ſimili noceat, quam alteri proſit; virtutis dianoëticæ ſuaſu in alium locum, & aliud tempus liberalitas differenda eſt. Additur deinde, quod liberalitas privatim donet, & ſic comprehenduntur non tantũ mediocria, ſed ſplendidiſſima etiam dona, quæ ſingulis, aut paucis offeruntur. Præterea ſuis metis deſcribitur liberalitas, ne in profuſionem conuertatur, habetque hoc proprium, quod non ſortem profundit, & diſſipat, quo de Cicer. 1. offic. *Qui benigniores eſſe volunt quàm res patitur, primum in eo peccant, quod injurioſi ſunt in proximos. Quas enim copias his & ſuppeditari æquius eſt, & relinqui, eas transferunt ad alienos.* Tandem pręcipitur, ut non minus unius, quam alterius ratio habeatur, nec liberalitatis eſt in unum omnia congerere, reliquis, qui opem noſtram implorant, præteritis, & neglectis. *Quid* enim,

ut

ut Cicero 2. offic. ait, *stultius, quàm quod libenter facias, curare, ut id diutius facere non possis.* Sic igitur donatio temperanda est, ut sortem nobis nostrísque reservemus, de fructibus vero in aliorum promotionem, quod opus est, collocemus. De hac virtute Proverb. 5. *Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. Sit vena tua benedicta.* Proverb. 28. *Qui dat pauperi non indigebit, qui despicit deprecantem sustinebit penuriam.* Ambros. *Modus liberalitatis tenendus est, ut quod benefacis, quotidie facere possis.* Cic. 1. offic. *Nihil est tam angusti animi, tamque parvi, quàm amare divitias. Nihil honestius, magnificentiúsque, quàm pecuniam contemnere si non habeas, si habeas ad beneficentiam, liberalitatémque convertere.* Cic. 2. offic. *Non ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda, ut pateat omnibus. Modus adhibeatur, isq́ue referatur ad facultates.* Cic. 1. offic. *Videndum est igitur, ut ea liberalitate utamur, quæ prosit amicis, noceat nemini.* P. Mimus. *Pecuniæ imperare, non servire convenit.* Terent in Adel. *Pecuniam in loco negligere maximum interdum est lucrum.* Proverbium est, τὸ ἀγαθὸν κοινωνικὸν ἑαυτοῦ, *Bonum est communicativum sui.* Item: χρηστὸς ἀνὴρ κοινὸν ἀγαθὸν ὥς φασίν, *Bonus vir commune bonum ut dicunt.* Huic virtuti repugnat avaritia, quæ tam sordidè suis parcit, ut nec

possessori usum fructum suorum bonorum concedat. Deinde repugnat prodigalitas, quæ immodicis donationibus facultates suas exhaurit, & perdit.

De magnificentia.

CAP. VI.

Magnificentia est beneficentia, quâ ad publicam utilitatem sumptus opibus nostris tolerabiles facimus.

Titus Vespasianus laudatissimus Imperator cum mons Vesevus in vertice ruptus tantum incendii emisisset, ut vicinas regiones, & aliquot civitates incenderit, suis sumptibus eas rursus extruxit, ut hoc incendio afflicti facilius sese colligere, & amissa reparare possent.

Israëlitæ in deserto cum invitarentur à Moyse, ut tabernaculum, prout à Deo imago ejus delineata erat, extruerent, tam magnifici fuerunt, ut prohibiti sint, ne ulterius afferrent ad structuram necessaria. Sufficiens enim rerum copia necessariarum jam collata erat.

David rex Israelitarum auri, argenti & æris ingentem vim ad ædificationem templi Salomoni filio reliquit, qui magnificentissimè illud extruxit.

Theodosius secundus Imperator Bibliothecam Byzantii undique veteribus libris Ecclesiasticis, & ethnicis coemptis valde auxit.

Carolus

Carolus Magnus multa egregia magnificentiæ documenta post se reliquit. Academiam Parisiensem consilio Alcoini constituit, aut in meliorem formam redegit. Academiam Ticinensem instituit. In collegio Osnaburgensi Græcum lectorem dato amplo stipendio introduxit. Peculiarem Episcopum collocavit Osnaburgi, alium citra Visurgim in oppido, quod historici nominant Selingstet, unde postea sedes episcopalis translata est Oster Wigum, & inde Halberstadium. Condidit & alios episcopatus, ut Padebornæ. Item in oppido Mimingeroda, de cujus translatione extitit Monasteriensis, Hildesii: Bardovici, unde Werdam commigravit: Bremæ; Mindæ, & singulis addidit certos reditus, quibus episcoporum, & ministrorum ecclesiæ, & aliæ pauperes familiæ alerentur. Propè Moguntiam Rhenum ponte stravit longitudinis, ut fertur, quingentorum passuum, in cujus ædificatione totos annos decem, & pecuniæ ingentem vim consumpsit, qui anno ante mortem ejus proximo subito, & fortuito incendio intra horas tres totus conflagravit. Aquisgrani templum condidit, in quo sepultus est.

Henricus Auceps Imperator domitis Henetis, & Sorabis eorum regionem in præfecturas limitaneas, quas Marchias dicimus, distinxit, & præsidibus, ac gubernatoribus præsidiis munitis distribuit, condidit etiam ecclesias, ut gens Heneta, quæ à Christiana religione aliena erat, rectè de Deo erudiretur, & ad pietatis atque humanitatis cul-

tum assuefieret. Fuerunt autem hæ ecclesiæ Misnensis, Brandeburgensis, Havelburgensis, & Caminensis, sed plerasq; tantum incoatas Otto primus filius absolvit.

Otto primus Imperator Daniam in tres episcopatus distribuit ordinatis reditibus annuis, quibus ministri ecclesiarum alerentur. Henetis condidit partim, partim confirmavit episcopatus Aldeburgensem, Havelburgensem, & Brandeburgensem, quos subjecit metropolitæ Hamburgensi. Sorabis Magdeburgensem, cui attribuit fontes salis in Salinis Saxonicis, Mersburgensem, Cicensem & Misnensem condidit.

Henricus Sanctus & claudus Imperator episcopatus Mersburgensem, Misnensem, & Magdeburgensem barbarorū armis dirutos ac devastatos instauravit, novisque donationibus auxit. Mersburgensi post mortem Esici comitis maximam partem comitatus Mersburgensis addixit. Rinoldo comite Bambergensi sine mascula prole defuncto condidit Episcopatum Bambergensem, nec tantum defuncti hujus comitis opibus eum ditavit, sed ita munivit, ut præcipuos Germaniæ principes hujus episcopi vasallos esse voluerit. ex qua constitutione adhuc hodie Electoribus imperii, quæ ad Electoratum pertinent ab hoc episcopo, ut feuda conferuntur.

Fridericus secundus Imperator condidit Academiam Neapoli, & antè constitutas alibi exornavit, & amplificavit. Multa ex Græca, & Sarace-

racenica traduci in linguam Latinam curavit, ex Aristotele, Ptolemæo, Galeno, Avicenna, & aliis, ita ut vel unius Friderici secundi beneficio Physica, Medica, & Mathematica studia in occidente revixerint, quæ inde usque ab irruptionibus Gotticis, & Vandalicis neglecta jacuerant.

Fuit in Italia vir summæ autoritatis Irnerius, qui consultum posteritati cupiens persuasit Imperatori Lothario Saxoni, ut non tantum caussas ex veteribus legibus Romanis dijudicari, sed easdem etiam Romæ, & Bononiæ publicè enarrari curaverit.

Maximilianus primus Imperator suo exemplo, hortatúque, ac spe præmiorum amplissimorum cum omnium liberalium artium, tum vero inprimis historiarum studia in Germania tunc adhuc profunda barbarie obruta, & veræ, solidæque eruditionis fontes ignorante unus excitavit, ita ut ante eum vix quisquam verioribus ornamentis patriam privatim, aut publicè illustrarit.

Trajanus Imperator bibliothecas instruxit, inter quas unam à gentilitia appellatione Ulpiam nominavit. Pontem fecit, quo Istri ripas conjunxit in Bulgaria, magno & mirando opere. Nec procul inde Nicopolin condidit.

Antoninus Pius Imperator stipendia literarum, & Philosophiæ professoribus etiam in provinciis attribui constituit.

Jussu Nervæ Imperatoris delecti sunt Senato-

res, qui agros data pecunia ex publico emerent, & egenis civibus dividerent.

Fridericus Sapiens Dux, & Elector Saxoniæ, & Joachimus Marchio Brandenburgensis ferè eodem tempore Academias condiderunt, ille Witebergensem ad formam Tubingensis scholæ, hic Francofordensem ad Viadrum ex Lipsensi deductam.

Johannes Fridericus Dux & Elector Saxoniæ Jenensem Academiam fundavit, eiq; instructissimam bibliothecam addidit, quam adhuc hodie Duces Saxoniæ Vinarienses, & Coburgenses præclarè augent certa, & non mediocri pecuniæ summa quotannis ad coemendos optimorum autorum libros numerata.

Mauritius Dux & Elector Saxoniæ, ut benè collocaret reditus ad pios usus ordinatos duabus Academiis tres illustres scholas addidit, quas adhuc singulari magnificentia Elector Saxoniæ fovet.

Artaxerxes rex Persarum in reditu Judæorum ex captivitate Babylonica tam magnificus fuit, vt non videatur unquam in genere humano alius Monarcha erga Ecclesiam munificentior fuisse.

Cum in Ægypto doctrinarum possessio tantum penes sacerdotes esset, & lingua ac literis Ægyptiis contineretur; Ptolemæi Philadelphi consilio doctrinæ in Græcam linguam translata sunt, & instituta sunt studia Alexandriæ, ubi deinceps com-

munia

munia fuerunt omnibus discere volentibus, & rex undique doctos viros accersivit. Bibliothecam instruxit copiosissimam, & inquisivit apud multas gentes vetera monumenta. Quia vero intellexit Ptolemæus, habere Judæos vetustam patrum seriem, & vidit legem Judæorum maximè congruere rationi de unitate Dei, & de honestis moribus, curavit & Judæorum libros in Græcam linguam transfundi. Quare ad Eleasarum summum sacerdotem splendida dona misit, & ad se mitti interpretes petivit. Missi sunt igitur duo, & septuaginta viri, qui Moysen, & cæterorum Prophetarum libros, & haud dubiè multa alia monumenta in Græcam linguam transtulerunt.

Alphonsus Hispanus Castellæ rex videns mathesin, præsertim de anni ratione, & sydrum motibus prorsus obscuratam, & penè extinctam esse, nec posse in lucem revocari, nisi & plures artifices conjungerent operas, & publicis sumptibus instruerentur; quadraginta millia aureorum contulit in barbaricas versiones, & constructionem Canonum, qui adhuc hodie Alphonsi nomine celebrantur, & usurpantur.

Matthias Hunniades rex Hungariæ singulari munificentia invitatis ad se viris doctis, & invectis in Pannoniam nobilioribus studiis ita gentis ad arma natæ ingenia ferociora mollivit, ut regnum ex plumbeo aureum reddidisse dicere-

tur. Inprimis fovit mathematum peritos, & ex his Johannem Regiomontanum tanti fecit, ut crebro eum eruditorum colloquiorum caussa, & mensa, & contubernio adhibuerit. Poetas etiam in honore habuit, & fovit. Bibliothecam comparavit ingenti sumptu, quanta extra Italiam nulla est, ex qua prolata sunt Polybii, & Diodori Siculi fragmenta, quæ primum prodierunt.

Eberhardus Comes Wirtebergensis, quem aliquanto post ad dignitatem ducis Maximilianus primus Imperator evexit, instituit Academiam Tubingensem, quæ ceu colonia Bononiensis Academiæ est, eámque viris doctis undiquè conquisitis exornavit.

Conon dux Atheniensis Evagoræ regis Cypri, & Persici regis pecunia instructus Lysandrum navali pugna ad Cnidum victum interfecit, & Athenas rediit, cumque afflictissimum statum patriæ videret; quinquaginta talenta, id est, triginta millia coronatorum ei donavit, murósque à Lysandro eversos hac pecunia refici curavit.

Aratus Sicyonius cum liberasset patriam à tyrannide, & exulum prædia jam ab aliis occupata videret, nec sine bellis ad priores dominos facile transferri posse; sumpsit à Ptolemæo talenta centum, & quinquaginta, hoc est, nonaginta millia coronatorum, & adhibitis senatoribus transactiones instituit. Pretia numerat iis, qui volentes cedebant: aut si qui cedere nollent; tantundem pecuniæ dat exulibus, quanti æstimabantur

tur fundi. Hac compensatione pax civitatis retenta est.

Hæc virtus splendore suo liberalitatem, quę admodum grata est, multis parasangis antecędit. Non enim privatim donat, sed publica post se beneficentiæ monumenta relinquit, quæ non ad ornatum, aut voluptatem posita, aut tantum privatis cōcessa, sed ad publicam, & communem utilitatem collata mirificam bonorum omnium commendationem excitant, & magnificum donis suis vivaciorem conservant, ac immortalitate quadam illustrant nunquam non exhibentia præçlara generosissimi animi documenta. Ut autem hæc virtus suis numeris absoluta sit, opes considerandæ sunt ex quibus magnificentia elucere debet, & cavendum, ne publicis sumptibus nimis exhauriantur. Etenim naturalis, & ordinatus amor à seipso exordium faciens ductu rectæ rationis ita evagatur, ut ad fontem legitimè redeat, nec sui obliviscatur: quod vt rectius fieri possit, nō sordida supputatione examinat, sed generoso animo secum reputat, quid cuique maximè debeat. De hac virtute Cic. 2. offic. *Atque etiam illæ impensæ meliores sunt, muri, navalia, portus, aquarum ductus, omniáque quæ ad usum reipublicæ pertinent.* Ibid. *Danda igitur opera est, ut his beneficiis quàm plurimos afficiamus, quorum memoria liberis, posterisq; tradatur, ut his ingratis esse non liceat.*

Atque hæc benignitas etiam reipublicæ utilis est; redimi è servitute captos, locupletari tenuiores. Valer. Max. lib. 5. *Æquæ virtutis est, & bona patriæ auxisse, & ejus mala in se transferre voluisse.* Ab hac virtute dissentit tenacitas, cui nihil quàm erogare aliquid ad publicam utilitatem durius est. Deinde dissentit largitio, quæ fundum non habens vana jactantia sua profundit, ut nec publicæ necessitati subveniat, nec publicam dignitatem augeat.

De hospitalitate.
CAP. VII.

Hospitalitas est beneficentia, qua hospites nihil mali nobis, nostræque existimationi afferentes, ut recreentur, excipimus.

Abrahamus adventantes tres viros, & ante tentorium ejus stantes ad se humaniter invitat, eosque hospitio exceptos frugaliter tractat subcinericiis panibus, vitulo mactato, & cocto, butyro, & lacte.

Loth angelos duos Sodomam vespere venientes, honestos viros esse ratus sic alloquitur, Obsecro domini declinate in domum pueri vestri, & manete ibi, lavate pedes vestros, & mane proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt, minimè, sed in platea manebimus. Loth instans cõpulit illos oppido, ut diverterent ad eum, ingressisque domum ejus

fecit

fecit convivium, coxit azyma, & comederunt.

Servus Abrahami cum missus esset in Mesopotamiam, ut Isaaco uxorem duceret, & Rebeccam, ut hospitio exciperetur, peteret; facilem, & promptam invenit. Non enim tantum hospitium, sed & pabulum promisit. Nec minus Laban humanissimè illum excipit, Ingredere, inquiens, benedicte Domini, cur foris stas? præparavi domum, & locum camelis tuis, & introduxit eum in hospitium, ac destravit camelos, deditq; paleas, & fœnum, & aquam ad lavandos pedes camelorum, & virorum, qui venerant cum eo, & appositus est in conspectu ejus panis.

Laban similiter Jacobum sororis suæ filium humanissimè excipit.

Jethro suas filias duris verbis tractat, quod Moysen non ut hospitem adduxerint, eumq; postea exceptum aliquandiu secum habet.

Moyses cum audisset in deserto, quod socer Jethro cũ conjuge sua, & duobus filiis adesset, egressus in occursum ejus adoravit, & osculatus est eum, salutaveruntq; se mutuo verbis pacificis. Deinde venerunt Aaron, & omnes seniores filiorum Israel ut comederent panem cum eo coram Domino.

Levita quidam, ut est Jud. 19. volens reducere uxorẽ, quæ eum deseruerat, & ad patrẽ redierat. Hunc cum videt socer occurrit ei lætus, & amplexatus est hominẽ, mãsitq; gener in domo soceri tres dies comedẽs cũ eo, & bibens familiariter. Quarto die cum proficisci vellet; ait socer ad eum, Gusta

prius pusillum panis, & conforta stomachum, postea proficisceris. Cumque hilarem sumpsissent diem remansit gener, quem & postero die socer liberaliter tractavit, & secum retinere studuit, sed noluit gener, & cum suis pervenit Gibeam, ubi hospitium ei denegatum est, licet victum, & pabulum secum haberet, donec senex quidam ex agro de opere suo veniret, qui eum cõquerentem de inhospitalibus incolis sic allocutus est: Pax tecum sit, ego præbebo omnia, quæ necessaria sunt, tantum quæso, ne in platea maneas, introduxitq́ eum in domum suam, & pabulum asinis præbuit, ac postquam laverunt pedes suos, recepit eos in conviviũ.

Elisæus cum frequenter diverteret apud Sunamitidẽ, dixit hæc ad virum suum, Animadverto, quod vir Dei sanctus est iste, qui freqũẽter transit: faciamus ergo ei cœnaculum parvum, & ponamus ei in eo lectulum, & mensam & sellam, & candelabrum, & cum venerit ad nos maneat ibi, quod & factum est.

In Actis Apostolorum commendatur Simon Coriarius, cujus hospitio aliquandiu Petrus usus fuit. Extollitur etiam Lydia, quæ Paulum, & ejus comites etiam invitos hospitio excepit. De Melitensibus hæc Lucas narrat: Et cum evasissemus; tunc cognovimus, quod Melita insula vocaretur. Barbari vero præstabant nobis non modicam humanitatem. Accensa enim pyra excipiebant nos omnes propter imbrem, qui imminebat, & frigus. In locis autem illis erant prædia principis insulæ

sulæ nomine Publii, qui nos suscipiens triduo familiariter tractavit.

Hac virtute excellunt Germani, qui hospitibus suis cujuscunque etiam sint nationis, tutum hospitium præbent, & egregiè ob hospitalitatem à Cæsare & Tacito commendantur.

Senatus Romanus cum Prusiam regem Bithyniæ adventare sciret, ut gratularetur populo Romano de Perse devicto, domum ei, & comitibus optimam conduci, & victum regium suppeditari jussit.

Cum Lacedæmonii fugientem Themistoclem sequerentur ut ipsum interficerent, fugit primum ad Admetum regem Molossorum, qui cum ei inimicus esset; Themistocles supplex factus est singulari ritu, quem docuerat eum regia conjux. Cum domum veniret Admetus in vestibulo ad aram Themistocles tenens manibus filiolum Admeti, & patri ostendens propter eum orat se supplicem recipi, sibi parci nec dedi se hostibus. Hic ritus propter filium petendi judicabatur esse sanctissimus. Dedit igitur ei Admetus aliquantisper tutum hospitium. Sed cum Admetus timeret Græcos, qui poscebant eum sibi dedi, curavit eum in Asiam transvehi.

Captis Athenis mandaverant Lacedæmonii, ne Thebani exulibus Atticis præberent hospitium. Sed Thebani prorsus contrarium edictum proposuerunt: se non impedire exules Atticos gerentes arma contra triginta tyrannos, ac mandare

se, ut nulla domus clausa sit exulibus Atticis.

Lacedæmonii cum sub specie pacis Antalcidæ Thebanos decepissent, & Cadmeam arcem fraude occupassent, expulissentq; quos vellent; Athenienses memores beneficii Thebanis exulibus hospitium dant eósque postea juvant contra exercitus Laconicos.

Cydon Corinthius quispiam adeo hospitalis fuit, ut proverbio locum fecerit; Semper aliquis in Cydonis domo.

Cum Thebæ ab Alexandro Magno funditus deletæ essent, & de exulibus qui effugerant decretum esset, ne usquam in Græcia eis hospitium præberetur; Athenienses memores veteris beneficii eos receperunt, nec expulerunt receptos. Hanc gratitudinem & hospitalitatem Alexander postea comprobavit.

Achilles dux Græcorum Phœnicem præceptorem suũ in legatione ab Agamemnone ad se missum honorificentissimè excepit, eiq; dimidiam regni sui partem obtulit, ut & hospitalitatẽ, & gratitudinem simul ei significaret.

In hac virtute primo observandi sunt, quos receptos volumus. Hi enim tales esse debent, ut nihil mali nobis, nostrísque pariant, quod vel ipsi creare possunt, ut duo Spartani Scedaso in Leuctris fuerunt graves, dum in ejus absentia filias ejus vi stupratas interficiunt, & in puteum abjiciunt, & ut sunt potentes vicini,

qui

qui ſæpe hoſpites ſuos, à quibus fuerunt invitati, ejiciunt, vel ſecum attrahere poſſunt. quod timentes conſiliarii Ptolemæi regis Ægypti turpiſſimo ingratitudinis exemplo non tantum Pompejum hoſpitium petentem rejecerunt, ſed etiam interfecerunt. Deinde etiam exiſtimationis noſtræ ratio habenda eſt, ne ex hoſpitibus maculam aliquam contrahat. Rectè enim vulgari verſu dicitur:

Noſcitur ex ſocio qui non cognoſcitur ex ſe.

Pari quoque paſſu fur cum ſuo hoſpite ambulat. Si igitur majus eſt periculum, quàm officium, nec tam juvantur venientes, quàm recipientes affliguntur, aut ſi omnino mali ſunt; repudiandi ſunt hoſpites, non admittendi. Hujus autem gratia bonos recipiendos eſſe docetur, ut recreentur, quo tutum hoſpitium, & frugalis tractatio impetratur. De hac virtute Plaut. in Mili. glorio:

In bono hoſpite atq; amico quæſtus eſt, quod ſumitur. Ibid.

Nam hoſpes nullus tam in amici hoſpitium divorti poteſt,
Quin ubi triduum continuum fuerit, jam odioſus ſiet.
Verum vbi dies decem continuos ire ad eundem inſtat,
Tametſi dominus nõ invitus patitur, ſervi murmurant. Juven. ſat. 11.

Convivam caveo, qui me ſibi comparat, & res
Deſpicit exiguas. Hom. Odyſ. ε.

Αἰδοῖος μέν τ' ἐστὶ καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσι
Ἀνδρῶν ὅστις ἵκηται ἀλώμενος ὥσπερ ἐγὼ νῦν.
Nam divis reverendus, & immortalibus ille est
Quicunque appulerit multis erroribus actus
Nunc uti ego. Hom. Odyss. θ. Ulysses excipient Laodamantem, quod hospes esset, ait:
---τίς ἂν φιλέοντι μάχοιτο;
Quis namque benigno cum hospite pugnet? Ibid.
Ἄφρων γὰρ κεῖνός γε καὶ οὐτιδανὸς πέλει ἀνὴρ
ὅστις ξεινοδόκῳ ἔριδα προφέρηται ἀέθλῳ.
Vir siquidem vecors est ille, nec unius assis
Quisquis ad adventum certaminis evocat illũ
Quem penes hospitio fruitur, tectoque juvatur.

Ab hac virtute aliena est inhospitalitas, qua vel honestissimos hospites rejicimus, aut quasi ad Tauricam aram excipimus. Deinde aliena est nimia familiaritas, quæ bonos & malos æquè non sine famæ jactura suscipit.

De fidelitate.

CAP. VIII.

Huc usque beneficentia est: sequitur fidelitas.

Fidelitas est virtus officiosa, qua ea, quæ in nos justè recepimus, ita curamus, ut promissis satisfiat.

Hæc virtus, quæ firmissimus imperiorum nervus est, ut in imperio Romano eluceret, maturo consi-

consilio sapientissimè ordinatum est, ut Imperator prius juramento se obstringat se Deo auspice futurum justum libertatis, ac majestatis Imperii, & membrorum ejus, limitúmque defensorem, & eorundem augustum promotorem, quàm ei summa majestas, & potestas imperatoria committatur, quæ nulla parte sic imminuitur, ut non, si opus est, justitiam exercere, & contumaces, ac rebelles justè punire possit, sed tantum imbecillitas humana terrore vindictæ divinæ coercetur, ne majestate tantæ potentiæ elata insontes premat, aut afflictos despiciat, opeque denegata deserat. Nec minus Electores, reges, principes, & reliqui status Imperii sanctissimo fidelitatis, & obedientiæ jurejurando cum Imperatore sunt devincti, quo Deum testem, & vindicem assertionis invocarunt, ut aut mentiatur cum perjuris, & fidem frangentibus, quod propter immutabilem Dei veritatem in omnem æternitatem fieri non potest, aut ad confirmationē suæ veracitatis durissimè in jurisjurandi dati contēptores animaduertat, quod egregiè omni tempore præstitit spreta & abjecta absolutione, qua pontifices Romani plusquam humana audacia juratos ad defectionem impulerūt, ut testantur passim in historiis innumera exempla eorum, qui fidem Imperatoribus datam frangentes publicas, & privatas calamitates sibi, suisq; attraxerunt.

David cum videret Ithai secum exulantem; humanissimè illi dimissionem dedit contentus voluntate viri. Sed huic respondit Ithai, Ita

vivat Dominus, & ita vivat rex, ubicunque erit dominus meus rex, ibi & ego ero præsto vivus vel mortuus.

Husai consiliarius Davidis non sine summo periculo ad Absolonem proficiscitur, & fidelissimè res ejus tractat, dum Ahitophelis consilia perniciosa impedit, & pericula Davidi imminentia avertit.

Gabaonitæ dolo impetrant ab Israelitis, ut se velle iis parcere promitterent, idq́; juramento confirmarent. Etsi autem populus re comperta hoc dolo offensus esset, ut promissa rescindere voluerit; tamen seniores propter præstitum juramentum noluerunt permittere, ut duriter quid in eos statueretur.

Romanos suos propter fidelitatem Cic. 1. offic. sic commendat: Ii qui armis positis ad Imperatorum fidem confugerint, quamvis murum aries percusserit, recipiendi sunt. in quo tantoperè apud nostros justitia culta est, ut ii, qui civitates, aut nationes devictas bello in fidem recepissent, earum patroni essent more majorum.

Pontifex Romanus, Veneti, & Franciscus Sfortia videntes fortitudinem & felicitatem Ferdinandi Piscarii Marchionis per Hieronymum Moronum Cancellarium Sfortiæ ducis Mediolanensis eum amplissimis promissis, & spe de regno Neapolitano facta tentarunt, ut deserto Imperatore Carolo Quinto pontificem, & confœderatos sequeretur. Marchio Piscarius, qui nihil minus,

nus, quam perfidiam cogitabat, petit, & impetrat confirmationem promissorum, qua Cæsarem, ut infallibili argumento de factionibus Italicis erudivit, & illas capto per Antonium Levam Morono elisit, suámque fidem, quam ad vitæ finem inviolabilem conservavit, longè illustrissimam reddidit.

Ferdinandus rex Arragonum Henrici fratris regis Castulonensis filium in tutelam admodum puerum recepit, ejusque regnum summa fide administravit, ut Castulonenses etiam regnum ei detulerint. Ferdinandus simulat se electionem approbare, cumque jam dies dictus esset ad solennem renuntiationem, sub regia & prolixa veste Henrici fratris filium texit, & cum omnes Ferdinandum regem sperarent; detectum puerum in ulnas accipit, & proceribus, populóque verum heredem ostendit, & commendat. Huic postea cum adolevisset, regnum immensis thesauris ditatum, & auctum tradidit, & ita non tantum fidelitatis, sed & amicitiæ naturalis egregium specimen edidit.

Philippus Imperator principes ferè omnes in electione consentientes habuit, sed retraxit quosdam Pontifex Innocentius, qui se pontificiam potius dignitatem vel cum clade, & ruina Italiæ in discrimen positurum, quàm huic Imperium concessurum superbè fuerat interminatus. Etsi autē nonnulli sententias à Philippo inflexerunt ad Bertholdum Zaringiæ ducem, tamen in fide perstite-

runt Saxoniæ dux Bernhardus, Albertus Marchio Misniæ, Bojemiæ rex, & Ludovicus Bavarus, qui communi consensu comitiis Mulhusii celebratis ad Philippum Imperium detulerunt, quo facto Bertholdus imparem se fore intelligens repudiato Imperio data fide Philippo se subjecit.

Darius rex Persarum initio regni Babylonem, quæ à Persis defecerat, post longam obsidionem vicesimo mense, recepit astutia Zopyri, qui cum sibi nares, & aures præcidisset ipse; Babylonem venit cruenta facie, simulans se a rege hac contumelia esse affectum, quod hortator fuisset relinquendæ obsidionis, vehementer accusans regiam sævitiam. Hæc credentes Babylonii præficiunt eum exercitui. qui primum ut ei plus fidei esset, levibus prœliis vicit Persas, aliquanto autem post urbem Dario tradidit. Tanto autem in honore postea Zopyrus apud Darium semper fuit, ut cum Darius pomum Punicum in manu teneret, dixerit, se non optare majorem thesaurum ullum, quam ut tot Zopyros haberet, quot grana sint illius pomi, significans regibus nihil utilius esse fidelibus amicis, & subditis.

Masinissa rex fide, & amicitia sociali erga Romanos celebris est apud Appianum, & Sallustium.

Tancredus Normannus cum patruus ejus Boemundus Antiochiæ princeps ab hostibus captus esses; tres annos reipublicæ præfuit, nec tantum ditionis suæ limites ulterius prorogavit, sed etiam

grandi

grandi pecunia collecta patruum suum redemit, eique præclaro fidelitatis, & amicitiæ naturalis exemplo principatum auctum & amplificatum restituit.

Eberhardus cognomento Barbatus primus dux Wirtebergensis in convivio principum quorundam Saxonum, & Bavarorum singulos suam ditionem singularibus encomiis exornantes audivit, & cum ex eo quæreretur, quidnam haberet, quod commendare posset; respondit: cætera omnia esse mediocria, sed hoc uno se gloriari, quod tuto possit caput in cuiusvis subditi sinum deponere, & somnum capere. Nihil enim est, quod magis munit, & armat regna, quàm paterna erga subditos affectio, & fidelitas in promissa defensione, qua hic princeps excelluit.

M. Attilius Regulus insidiis Asdrubalis, & Xantippi Lacedæmonii ducis captus jurejurando interposito Romam missus est, ut facta permutatione Pœnorum juvenes redimerentur. Primum ut venit captivos reddendos in senatu non censuit. Deinde cùm retineretur à propinquis & amicis, ad supplicium redire maluit, quàm fidem hosti datam fallere.

Cum Ptolemæus rex tutorem P. R. filio reliquisset, senatus judicio M. Æmilius Lepidus Pontifex Max. Alexandriam missus, & pueri tutor nominatus est, qui res regni tam fideliter administravit, ut Ptolemæo juniori incertum fue-

rit patriæne fortuna; an tutoris integritate fecilior extiterit.

Scipio Africanus superior cum onustam multis illustribus Carthaginensium viris navem in suam potestatem redegisset, qui se legatos profitebantur; incolumes eos omnes dimisit, licet non obscurum esset, illos finxisse legationem, ut vitarent periculum. Honestius enim esse Romani Imperatoris fidem deceptam esse, quàm frustra imploratam judicavit.

Sulpitia cum à matre Iulia diligentissimè custodiretur, ne Lentulum Crustelionem virum suum à triumviris proscriptum in Siciliam prosequeretur; veste famulari sumpta matrem fefellit, & cum duabus ancillis, totidemque servis clam aufugit, seque ipsam proscripsit, ut fidem suã erga proscriptum conjugem conservaret.

Nobilitas Misnica in defendendis comitibus provincialibus Thuringiæ Friderico, & Diterico singularem fidelitatem ostendit. Bello enim petita principes suæ fidei commissos non deseruit, sed duorum Imperatorum Adolphi, & Alberti Austriaci, nec non Alberti Landtgravii exercitus rejecit, & captum Fridericum egregio stratagemate ex manibus Marchionis Woldemari liberavit.

Cum Pontifex Romanus Electorum animos à Ludovico Bavaro abalienasset; elegerunt ex his quidam, & coronarunt Carolum Marchionem tunc Moraviæ, Johannis Bojemici regis filium.

Sed

Sed tanta fuit fides & benevolentia civitatum Imperialium erga Ludovicum, ut Carolus vivo illo nihil nec auderet, nec posset. Aquenses ad solennem inaugurationem cum Electorum comitatu advenientem Carolum in urbem non intromiserunt. Quare Bonnæ coronatus est à Coloniensi, quem multa pecunia corruptum fuisse fama fuit. Cum ex principibus Spiram convocatis Ludovicus quæsivisset, an probarent Caroli electionem, nemo repertus est, qui à Ludovico vellet sese sejungere.

Galeatius Sanseverinus Marschallus regis Galliæ cum Franciscum regem suum in prælio Ticinensi fortiter defenderet, & equus ejus lethaliter ictus cum illo caderet; Guilielmus Langeus illum juvare voluit. Sed hunc a se ad regem remisit his verbis: Fili mi permitte me mori, & festina, ut regem tuis armis tuearis.

In descriptione hujus virtutis agitur de iis, quæ in nos recepimus. Sub hisce autem non tantum comprehenduntur. quæ verbis promisimus, sed etiam ea omni.., quæ fidei nostræ commissa sunt, quæque tutoris, aut curatoris nomine administramus. In his requiritur, ut justè sint recepta, ne sint impia, aut inutilia, cui promissa sunt, neve magis noceant in se recipienti, quàm prosint ei cui promissio facta est. Etenim contra officium est, majus anteponi minori. Deinde ut promissorum ratio habeatur, sive sint expressa, sive naturaliter re-

quiſita, quæ magis tacitè rei ſuſceptione declarantur, quàm ut planis verbis, & dilucidè fiant, ut in matrimoniis, ſervitute, fidei commiſſis, & ſimilibus ſæpe accidit. Hiſce promiſſis, quæcunque etiam ſint, ſatisfieri debet, nec laudandum eſt illud Ciceronis in offic. ex Euripide: *Lingua juravi, mentem injuratam gero.* Non enim viri boni eſt promittendo fallere, præſertim cum jurisjurandi religio interceſſit, quam vitæ ſuæ, omnibúſque bonis exemplo Reguli jure præferre debet. quod etiam Tibullus propoſitis pœnis docet:

Ah miſer, & ſi quis primo perjuria celat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

& Cicero lib. 2. de legibus: *Pœna divina perjurii exitiū: humana dedecus.* Polyb. lib. 4. in Meſſeniorum quodam epigrammate inciſo columnæ in templo Iovis hæc fuiſſe verba tradidit:

πάντως ὁ χρόνος εὗρε δίκην ἀδίκῳ βασιλεῖ.
χαλεπὸν δὲ λαθεῖν θεὸν ἀνδρ' ἐπίορκον.

Omnino tempus invenit pœnam impio regi.
Difficile enim eſt latere Deum virum perjurū.

De hac virtute Proverb. 25. *Sicut frigus nivis in die meſſis: ita legatus fidelis ei, qui miſerit eum, animam ipſius requieſcere facit.* Proverb. 28. *Vir fidelis multum laudabitur; qui vero feſtinat ditari, non erit innocens.* Cic. 2. offic. *Omnium rerum nec aptius eſt quicquam ad opes tuendas, & tenendas, quam diligi: nec alienius quàm timeri.*

meri. Præclarè enim Ennius: Quem metuunt oderunt, quem quisque odit, periisse expetit. Idem ex contrario docet: *Nec ulla vis imperii tanta est, quæ premente metu possit esse diuturna.* Sic duriter reprehendit magistratum non fideliter rempublicam administrantem: *Habere quæstui rempublicam non modo turpe est, sceleratum etiam, & nefarium.* Cic. de Amicit. *Nec mediocre telum ad res gerendas existimare oportet benevolentiam civium.* Ibid. *Nihil stabile est, quod infidum est.* C. Plin. secund. *Frustra se terrore succinxerit, qui septus caritate non fuerit.* Salust. in bello Jugurthino: *Non exercitus, neque thesauri præsidia regni sunt; verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio & fide parantur.* Senec. in Troa.

Violenta nemo imperia continuit diu,
Moderata durant. Idem in Medea:
Iniqua nunquam regna perpetuo manent.

Idem:

Tutius volentibus, quam coactis imperare.

Plaut. *Facile est imperium in bonos.*

Senec. lib. de morib. *Priusquam promittas deliberes, & cum promiseris, facias.* Senec. *Malo mihi successum deesse, quàm fidem, etiam hosti æquus est, qui habet in consilio fidem. Fidem, qui perdit, nil potest ultra perdere. Fidem nemo unquam perdit, nisi qui non habet.* Cato. *Viri boni est, etiam non pollicitam fidem servare.* P. Mimus: *Fidem qui perdit, quo se servet reliquum?*

Fides ut anima unde abiit, nunquam redit. Sene. in Medea.

Pretio parata vincitur pretio fides.

Idem in Octa.

Ferrum tuetur principem, melius fides.

Cic. 1. offic. *Fundamentum autem justitiæ est fides, id est dictorum conventorúmque constantia.* Huic virtuti adversatur perfidia, qua contra pacta, & conventa impudenter agitur.

De amicitia.

CAP. IX.

Amicitia est virtus officiosa, qua bonos amore, & benevolentia prosequimur.

Estq; misericordia, aut amicitia perfecta.

Egregiam hujus virtutis commendationem Cicero in libro de amicitia habet, dum ait: *Non aqua, non igne, non aëre pluribus locis utimur, quàm amicitia.* Item: *Solem è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt, qua à Diis immortalibus nihil melius habemus, nihil jucundius.* Cum igitur tantum bonum sit, rectè monemur, ne in indignos illud collocemus, sed bonos eligamus, quibuscum familiariter vivamus vero, & non fucato amore, & benevolentia mutuo obstricti. De hac virtu-

te Cicer. in orat. pro Plan. *Quæ potest esse jucunditas vitæ sublatis amicitiis?* Cic. lib. 9. fam. Epist. 16. *Non facile dijudicatur amor verus, & fictus, nisi aliquod incidat ejusmodi tempus, ut quasi aurum igne, sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici possit.* Cic. lib. 1. de finib. *Solitudo, & vita sine amicis insidiarum & metus plena.*

De misericordia.

CAP. X.

Misericordia est amicitia, qua fortunam bonorum adversam lugemus, eāq; benevolentia nostra quantum possumus relevamus.

Cyrus cum ditissimum Lydorum regem Crœsum cepisset, & rogo imposuisset; flebili voce Crœsus Solonem vocat. Cyrus miratur invocationem, & Crœsum ignibus ereptum interrogat, quid à Solone expectet. cui respondet Crœsus, se jam in summis angustiis constitutum nimis sero deplorare suam stultitiam, quod Solonem sapientissimè de vita humanæ fragilitate, & fortunæ inconstantia monentem non audiisset. His auditis Cyrus misericordia motus est, & Crœsum calamitatibus sapientiorem & moderatiorem factum inter præcipuos suos consiliarios retulit.

Alexander post necem Darii mox in eum locum venit, ubi vidit tanti regis corpus jacere

cruentum, & sine honore. Misericordia igitur affectus regio honore sepeliri eum curavit, & interfectorem Bessum alligatum duabus arboribus inflexis discerpi iussit.

Alphonsus cum Cajetam difficili obsidione aliquandiu pressisset, & cives admodum fame laborarent; imbellem turbam omnem è civitate expulerunt, nullisque precibus moveri poterant, ut denuo intromitteretur: exercitus quoque imbelles spoliare, & trucidare cœperat. Hac de re certior factus Alphonsus suadente misericordia, dissuadentibus belli ducibus incolumes omnes dimisit.

Volumnius cum Lucullum amicum decollatum, & feretro in foro impositum videret; lamentatione, & querelis neglecto vitæ periculo commiserationem suam ad loculum accedens testatus est, nec tam suam, quàm amici mortem deploravit.

Misericordiam Cæsaris Cicero in oratione pro Ligario sic commendat. Nulla de virtutibus tuis plurimis gratior, aut admirabilior misericordia est.

Marcus Prætorius cum videret summam sævitiam, & tyrannidem, quam exercebat Sylla erga Marium; tanta commiseratione motus est, ut exanimis conciderit.

Aristoteles cum reprehenderetur, quod nebuloni cuidam eleemosynam dedisset, respondit: Non mores, sed hominem commiseratus sum.

Illustre

Illustre fidelitatis, & misericordiæ exemplum Cn. Plotinus Plancus cum servis exhibet. Ille enim cum esset proscriptus, & ut delicatus crebro unguentis uteretur, milites qui ad occidendum eum missi erant, præsentiam ejus odorati sunt, cumque primum servos ejus offenderent, & hi sævissimè torti negarent sibi constare, ubi esset dominus; tandem miseria, & cruciatibus servorum fidelissimorum commotus Plancus è vicino loco prodit, & jugulum hostium gladiis porrigit.

David audiens Saulem regem cum filio Jonathan occisum esse, tantoperè afficitur adversa eorum fortuna, ut prolixa lamentatione eos deploret. Idem cum subditis misericordiam suam erga Abnerum nefariè à Joabo occisum scissis vestibus, lacrymis, lamentatione, & jejunio declarat. Idem decumbente filiolo precibus suis ad Deum factis, jejunio, & duro cubili sese affligens commiserationem suam ostendit. Idem deplorat cum suo exercitu conjuges & liberos in urbe Ziglak captos.

Husai dolorem è Davidis exilio conceptum dilaceratis vestibus, & pulvere capiti inspersо Davidi occurrens monstrat.

Totus exercitus, qui Davidem fugientem comitabatur velato capite, & largissimis lacrymis profusis exilium ejus, & pericula luget.

Mephibosеth tam molestè tulit exilium Davidis, ut toto tempore, quo abfuit David, nec pe-

des, nec barbam purgaverit, nec vestes laverit, donec rex feliciter rediret.

Filia Pharaonis ad Nilum lavandi gratia accedens Moysen puerum in capsula ejulantem vidit, ejusque miserta est, & ex aqua eductum Hebrææ mulieri lactandum dedit, postea eum adoptavit.

Populus Israel luget Aaronem, & Moysen quadraginta dies. Idem cum Ægyptiis luctum suum in funere Jacobi satis prodit.

Psammenitus rex Ægypti insigne misericordiæ, & amicitiæ naturalis exemplum est. Hic enim cum regnasset sex menses, à Cambyse rege Persarum Ægyptum occupante captus est: cumque inter captivas filiam servili habitu missam ad aquam ferendam videret, cæteris captivis plorantibus tacitus sedit. Deinde cum filius duceretur cum aliis interficiendus, similiter tacitus sedit. Post hos cum familiaris quidam duceretur inter captivos, effusissimè lacrymas effundere & caput ferire cœpit. Hæc animadvertens Cambyses interrogari eum jussit cur amici, non filii, aut filiæ miseriam deploraret, respondit: domestica mala esse majora lacrymis, sed amici calamitatem posse lacrymis significari. His auditis Crœsus, & Principes Persici illacrymasse dicuntur, & Cambysen misericordia motum jussisse filium ei restitui incolumem, qui tamen jam erat interfectus.

Timantes Pictor pingens mactationem Iphigeniæ, principes, & populum astantem lugubri

vultu

vultu expressit; patris vero vultum tectum pinxit, suiq; consilii rationem addidit, quod paternus dolor in tali casu major sit, quàm ut penicillo adumbrari possit.

Hæc virtus circa fortunam adversam non quorumvis hominum, sed bonorum versatur. Neque enim tantum mali calamitatibus puniuntur, sed etiam boni sæpe miseriis premuntur, juxta dictum: *Bonum virum Deus in deliciis non habet, sed exercet.* quod & Cicero lib. 5. fam. Epist. 16. testatur: *Homines*, inquit, *nos esse meminerimus, ea lege natos, ut omnibus fortunæ telis proposita sit vita nostra.* Sic & Plinius non malos, sed *hominem à suppliciis vitam auspicari contendit.* Hac igitur virtute bonorum miserias sibi misericors inflictas putat, eosque benevolentia quantum potest, recreare studet. Huc usque sese misericordiæ limites ostendunt, quibus sępissimè se adjungunt gratificatio, liberalitas, magnificentia & hospitalitas, magisque afflictorum vulnera, & calamitates sanant. De hac virtute Proverb. 14. *Qui calumniatur egentem exprobrat factori ejus: honorat autem eum, qui miseretur pauperis.* Proverb. 19. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.* Prover. 20. *Misericordia, & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus ejus.* Proverb. 21. *Facere misericordiam, & judicium magis placet Domino, quam victimæ. Qui sequitur ju-*

ſtitiam & miſericordiam, inveniet vitam justitiam & gloriam. Auguſtin. *Nihil ad miſericordiam ſic inclinat, atque proprii periculi cogitatio.* Pub. Mimus: *Bona comparat præſidia miſericordia.* Idem: *Homo, qui in homine calamitoſo miſericors eſt, meminit ſui.* Virgil.

Non ignara mali miſeris ſuccurere diſco.

1. Ab hac virtute diſcrepat ἐπιχαιρεκακία, quæ alienis malis gaudet. Deinde diſcrepat, ſi tri-
2. ſtamur ob mala, quæ deſperati ſua malitia ſibi petulanter attraxerunt.

De amicitia perfecta.

CAP. XI

Amicitia perfecta eſt amicitia, qua honeſtè conjunctis optimè ſalva conſcientia in omnibus cupimus.

Eſtq; naturalis, aut ſocialis.

Hæc virtus honeſtè conjunctos requirit, ſive conjunctionem naturalem ſpectes, quæ nunquam rectè ſine caſtitate fit; ſive converſationem cum ſociis velis, quæ non honeſta eſt, niſi cum bonis inſtituatur. Hos animorum mutuo ardore ſic devincit, ut nihil cogitent, nihil committant, nihil expectent, niſi quod ſibi invicem bono eſt. Hæc autem animorum conjunctio admodum vehemens eſt, ut facile hominem à virtutis tramite abripere poſſit, quòd teſtatur Jacobus nolens conſolationem admittere

admittere ob amissum filium; Solon muliebri more lugens fictam filii mortem: Ægeus, qui opinione afflicti, vel mortui filii se in mare præcipitavit: & omnes ii, qui ob adversa filiorum vel sociorum fata se vita privarunt. Rectè igitur additur, ut acer, & morosus judex, conscientia, quæ amicos retrahit, ne ulterius, quàm decet, ferantur: cumque sibi mutuo usque ad aram adfuerint; modestè cogitent subsistendum esse. De hac virtute Cic. de amicit. *Natura solitarium nihil amat, semperq; ad aliquid tanquam adminiculum annititur.*

De amicitia naturali.

CAP. XII.

Amicitia naturalis est amicitia perfecta, qua naturaliter conjuncti mutuo, & arctissimo amore, benevolentiaque pro gradu cognationis intentis sese prosequuntur.

Juda naturalem amorem Jacobi erga Benjaminem minimum filium in præsentia Josephi sic describit: Si intravero ad servum tuum patrem nostrum, & puer defuerit, cum anima illius ex hujus anima dependeat, viderique eum non esse nobiscum; morietur, & deducent famuli tui canos ejus cum dolore ad inferos.

Abraham tantopere amavit Lothum fratris

filium, ut captum trecentis servis, & aliquot confœderatis armatis non dubitarit summo vitæ periculo è victorum manibus eripere.

Jacobus tantoperè amavit suam Rachelem, ut septem annos, quos in servitio apud Labanum consumpsit, pro paucis diebus reputaverit.

Josephus videns Benjaminem fratrem germanum, tanto amoris incendio inflammatur, ut lacrymas continere non potuerit, longe etiam illustriora munera, quam reliquis fratribus tradiderit.

Naëmi amissis duobus filiis in terra Moabitarum voluit redire in Judæam, & nurus suas admonuit, ut pergerent ad domos paternas. quæ multis lacrymis testatæ sunt se malle permanere apud socrum. tandem tamen persuasa Arpa domum abiit. Ruth vero respondit: Noli me cogere, ut te deseram: quo tendis, eò proficiscar: ubi subsistis, ibi divertam: Populus tuus populus meus est, & Deus tuus Deus meus est: ubi vitam finis, ibi extremum spiritum emittam. ita me Deus amet, non nisi per mortem disjungi possumus.

Elkana conjugem suam Hannam ardenter amavit. cumque ob sterilitatem tristissima esset, sic ei amorem suum significavit: Hanna cur lacrymas effundis? cur non cibum capis? cur tantopere comprimitur cor tuum? nónne tibi melior sum decem filiis?

Cis pater Saulis videns filium asinas amissas quærentem ultra dictum tempus abesse, asinis omissis

missis de filio vel maxime erat solicitus dicens: Quid faciam de filio meo?

Michal filia Saulis ut amorem suum Davidi ostendere, eumque liberare, & sine periculo dimittere posset, solerti invento fallit patrem, & sicarios ad interficiendum Davidem missos.

Amoris paterni insigne exemplum est in Davide, qui Absolonem filium seditiosum adeo dilexit, ut tristissima lamentatione mortem ejus deploraverit.

In celebri Salomonis judicio vera mater filiolum suum mavult alteri vivum concedere, quàm permittere, ut dissecetur.

Mycerinus filiam suam unicam tam ardenti amore prosecutus est, ut mortuam aureo tauro inclusam (erat autem forma tauri Ægyptiis propter Apim sacra) in templo collocarit, odoratissimisque floribus, & face accensa cohonestarit.

Ariobarzanes rex Cappadociæ in præsentia Cnei Pompeii regnum filio tradere voluit, magnaque lætitia ei coronam imposuit, jussitque ut regiam sellam occuparet. Filius intelligens patri regnum eripi, adeo terretur, ut flens, & sensim labens coronam capite excusserit. Pater instabat lætus de filii imperio, filius tristis erat, quod patr regiam autoritatem deponeret, nec prius eam suscepit, quàm Pompeii intercessione, & patris constanti voluntate persuasus in regiam sedem sit collocatus.

Epaminondæ Thebano nihil gratius in tota vita accidit, quàm quod vivis parentibus patriam servitute liberavit victis ingenti prælio Lacedæmoniis, & quod parentes habuit suorum honorum spectatores.

Carthaginenses, & Cyrenenses cum aliquandiu de finibus certassent, tandem inter eos convenit, ut utrinque legati mitterentur, & quo in loco inter se obvii fuissent, is communis utriusque populi finis haberetur. Carthagine duo Philæni missi citius, Cyrenenses tardius eunt, & dum se posteriores vident, rem conturbant, optionem tamen Carthaginensibus faciunt, ut vel illi, quos fines populo suo peterent, ibi vivi obruerentur, vel eadē conditione sese, quem in locum vellent, processuros. Philæni conditione probata seque, vitamque suam reipublicæ condonavere, ita vivi obruti. Carthaginenses in eo loco Philænis fratribus aras consecravere, aliique illis domi honores instituti.

Conradus tertius Imperator cum vario eventu bellum diuturnum, & cruentum cum Guelpho Bavaro gessisset, tandem accidit, ut ad oppidum Weinsberg bellum consisteret, ubi fusus, fugatusque Guelphus intra oppidum se recepit vallo, ac mœnibus se defensurus. Sed post difficiles expugnationes armis, & fame coactus est, ut sese, & suos victori quibuscunque conditionibus dederet. Cumque Imperator vellet, ut Guelphus, & cæteri equestris ordinis viri vincti in custodiam traderentur, oppidum à militibus diriperetur, cives vitam

tam, ac libertatem retinerent; mulieres, quæ fuerunt in oppido, supplices ab Imperatore petiverunt, ut sibi liceret salvis in discessu esse portantibus de rebus suis, quantum unaquæque posset. Hoc cum à clementi victore, & Germano facilè obtinuissent, pio & salubri consilio usæ maritos suos, liberosque auro, aliisque pretiosis rebus præferunt, eosque in humeros susceptos parvos liberos in sinu, & amplexu tenentes exportant. Imperator etsi se deceptum videbat; tamen ingeniosa philostorgia mirificè delectatus omnibus convivio exceptis clementer ignovit.

Fridericus Barbarossa Imperator patriæ, & filii sui captivi salutem tanti fecit, ut licet victor Roma, & tota Italia in suam potestatem redacta Pontificem omnibus honoribus, & bonis spoliare potuisset, & sic captivitatem, vel mortem filii ulcisci; maluit tamen se Alexandri pontificis superbissimi pedibus conculcari, quàm filium deserere, & patriæ tranquillitatem impedire.

Tres fuerunt fratres Scythici regni hæredes, qui diu defuncto patre de successione contenderunt, tandem vicinum regem arbitrum eligunt, ejusque judicium ἀνυπεύθυνον *esse volunt. Hic injungit illis, ut patrem sepultum effoderent, & arcubus suis ad cor ejus collimarent illùmque futurum regem pronuntiat, qui sagitta sua cor tangeret. Natu maximus sagitta sua collum patris ferit. Natu medius sagitta sua pectus fodit; à corde tamen aberrat. Minimus etsi spem habebat,*

se posse cor attingere, & regno potiri; noluit tamen suo telo patrem mortuum vulnerare, seque facilius regno carere, quam parentem injuria afficere posse affirmavit. Judex agnoscens hujus virtutem regnum ei addicit, ut qui amore erga patrem mortuum ostenderet, se multis aliis & conjunctis virtutibus praeditum amplissimo regno dignum esse.

Cum urbs Catana Ætnæ flammis incensa esset; Amphion cum fratre Anapo non ut reliqui cives bona sua ex incendio eripiunt, sed decrepitos suos parentes, ut præstantissimum bonum per medios ignes incolumes ferunt, & à mortis periculo liberant. De his Virgilius in Ætna:

Illis divitiæ solæ materq; paterq;
Hanc rapiunt prædam, mediūq; exire per ignem
Ipso dante fidem properant. O maxima rerum
Et merito pietas homini tutissima virtus.
Erubuere pios juvenes attingere flammæ,
Et quacunq; ferunt illi vestigia cedunt.
Felix illa dies, illa est innoxia terra,
Dextra sæva tenent, lævaq; incendia fervent.
Ille per obliquos igneis, fraterq; triumphans
Tutus uterq; pio sub pondere, sufficit illa
Et circa geminos avidus sibi temperat ignis.
Incolumes abeunt tandem, & sua numina secū.

Amorem naturalem Æneæ Virgil. 2. Æn. sic describit.

Ergo age chare pater cervici imponere nostræ:
Ipse subibo humeris, nec me labor ille gravabit

Quo

Quo res cũq; cadent, unum & cõmune periclũ
Una salus ambobus erit, mihi parvus Julus
Sit comes, & longè servet vestigia conjux.

Miltiades Dux Atheniensium optimè de patria meritus malam gratiam retulit. Imperarunt enim ei Athenienses maximam pecuniæ summam 30000. coronatorum, nec prius ex carcere dimittendum esse statuerunt, quàm dicta summa exposita esset. intelligens autem Cimon patrem in carcere ægrotare dimissionem ejus sua captivitate impetrat. Miltiades paulo post decessit, & Cimon tandem liberatus est affine, qui interea sororem ejus duxerat, imperatam pecuniam numerante.

Nobilis mulier Romæ ob delictum capitale capta erat, & ne publicè plecteretur judex fame eam in carcere necari voluit. Hæc mulier filiam lactantem habuit, quæ à judice impetravit, ut quotidie consolandi gratia ad matrem accessus daretur, hac tamen conditione, ut absque alimentis veniret, fuit injunctum custodibus, ut diligenter eam singulis diebus observarent, & explorarent, num quid secum ferret. Filia ad matrem admissa suis uberibus eam alit, cumque jam præter naturam vitam produceret, deprehensum tandem est eam filiæ uberibus ali, quæ res filiam ita commendavit, ut matrem incolumem sibi donatam liberaverit.

Eodem modo filia Cimonis captivum patrem exertis mamillis velut ultimæ senectutis infan-

tem aluit, suumq; amorem erga patrem insignem ingeniosè prodidit.

Q. Cicero frater M. Tullii Ciceronis cum post mortem Cæsaris publicè proscriptus esset, & quæsitus, ut interficeretur; filius ejus nullis tormentis adduci potuit, ut proderet patrem. Nec pater diutius istos dolores perferre potuit, sed seipsum lictoribus tradidit, ut filium liberaret.

Hæc virtus naturaliter conjunctos complectitur, inter quos natura ipsa amicitiæ vinculum ordinavit, quod eo firmius esse debet, quo magis in brutis animantibus elucet. Turpe enim esset homines ratione longè excellentes à brutis in iis superari, in quibus vel maximè eminere debent. In hoc autem amore gradus cognationis observari debet, ut primis gradibus intensior, quàm posterioribus adscribatur, estq; apud Ciceronē lib. 1. offic. hic ordo expressus: Si, inquit, contentio quædam, & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum sit officii, principes sunt patria, & parentes, quorum beneficiis maximis obligati sumus, proximi liberi, totaque domus, quæ spectat in nos solos, neque aliud ullum potest habere profugium. Sequuntur fratrum conjunctiones, post consobrinorum, sobrinorúmque. Sequuntur deinde connubia, & affinitates: postea, qui sunt ejusdem civitatis; tandem, qui sunt ejusdem gentis, nationis, linguæ, qua maximè homines conjunguntur. Principem

locum

locum patriæ non injuria tribuit. Hanc enim qui defendit, aut beneficio afficit, aras & focos, ſimulque conjugem, parentes, liberos, omnéſque propinquos defendit, & juvat. Illa cum floret; hi omnes benè habent, ejuſque bonis maxima cum voluptate fruuntur, quod in Curii Romani amore erga patriam non obſcure conſpici poteſt. Hic enim dum in foveam ſe projicit, morte ſua toti patriæ vitam parit. Rectè igitur Cicero eodem in loco ait, cum omnia ratione, animóque luſtraveris, omnium ſocietatum nulla eſt gratior, nulla charior, quàm ea, quæ cum republica eſt unicuique noſtrum: chari ſunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares, ſed omnes omniũ charitates patria una cõplexa eſt, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus? Huic Cicero conjuges ſtatim ſubjunxiſſet; cum verbo divino conſenſiſſet, & propinquorum catalogum ordine diſpoſuiſſet. De hac virtute Cic. 1. offic. *Præclare ſcriptum eſt à Platone: Non nobis ſolum nati ſumus, ortuſq; noſtri partem patria vendicat, partem parentes, partem amici.* Cic. in orat. ad Quiri. *Nihil dulcius hominum generi à natura datum eſt, quàm liberi.* Cic. in orat. de Aruſpi. reſpon. *Nulla poteſt cuiquam malè de republica merendi juſta eſſe cauſſa.* Cic. in orat. pro Plan. *Quis eſt noſtrũ liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magiſtri ſui, atque doctores, cui non locus ille mu-*

tus, ubi ipse altus, & edoctus est, cum grata recordatione in mente versetur? Cic. lib. 10. fam. 12. Epist. *Verum decus in virtute positum est, quæ maximè illustratur magnis in rempublicam meritis.* Vulgatæ regulæ sunt: *Ordinata charitas à se incipit. Nullus amor vincit paternum. Amor plus descendit, quam ascendit.* P. Mimus: *Parentem si æquus est, ama. Sin minus, feras. Se denegare patriæ, exilium est pati.* Virgil.

Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.

Mantua:

Sit licet in natos facies austera parentum
Æqua tamen semper mens est, & amica voluntas. Ovid.
Et pius est patriæ facta referre labor.

Ovid. 1. de Pont. 4. eleg.

Non dubia est Ithaci prudentia, sed tamen optat
Fumum de patriis posse videre focis.
Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.
Quid melius Roma? Scythico quid frigore pejus?
Huc tamen ex illa barbarus urbe fugit.
Cum bene sint clausæ cavea Pandione natæ;
Nititur in sylvas quæq; redire suas.
Assuetas tauri saltus, assueta leones
(Nec feritas illos impedit) antra petunt.

1. Huic virtuti repugnat ἀστοργία, qua propinquos nostros odio persequimur, & fugimus. Dein-
2. de repugnat amor propinquorum nimius,

quo

quo nimio propinquorum desiderio contra rectam rationem peccamus.

De amicitia sociali.
CAP. XIII.

Amicitia socialis est amicitia perfecta, qua voluntatum, & officiorum innoxia communione cum sociis selectis copulamur.

Jonathan filius Saulis cum Davidem victorem prostrato Goliatho cum rege Saule colloquentem audiisset; mirabili, & firmissimo perpetui amoris vinculo connexum est cor ejus cum corde Davidis, ut hunc non minus, quàm seipsum postea dilexerit, ejusque commodis adeo studuerit, ut nec regni traditionem sibi gravem putaverit. Nec minus David vero amore flagravit, quem tristissimis de morte amici querelis, & beneficiis in Memphibosethum filium Jonatha collatis declaravit.

Fidelitatis, & amicitiæ socialis insigne exemplum præbent Damon, & Pythias, quorum alter captus à Dionysio tyranno cum jam carnifici tradendus esset, ut necaretur; petiit à tyranno, ut domum prius ire liceret, ac res domesticas constituere, seque dicto die certo ad supplicium rediturum esse promisit. Atque ut tyrannus facilius annueret socium adducit, qui morte sua perfidiam socii lueret. Hanc conditionem probat tyrannus, & capto hoc illum dimittit, cumque jam supplicii dies

instaret, nec mox rediret dimissus, vexabatur captus à custodibus, ut qui stultè egisset, quod se propter socium in tantum periculum conjecisset. His respondit captus, se neque de fide, neque de vero amore socii sui dubitare. nec fefellit eum augurium. Nam hora dicta redit dimissus, & amicum liberat. Hac fide, & amore tyrannus adeo delectatus est, ut vitam utriq; donaverit, seq; tertiũ amicum recipi petierit.

Lucilius Romanus tam charum Brutum habuit, ut in campis Philippicis equites Antonianos fugientem præsentissimo vitæ suæ periculo liberaverit. Equitibus enim occurrens se Brutum esse simulavit, ut interea Brutus ex eorum manibus elabi posset. Captum igitur ad Antonium adducunt, apud quem liberè fatetur, se retardasse equites, ut Brutũ è periculo eriperet, nec se defugere ea, quæ Antonius in illum possit statuere. Hoc summæ necessitudinis officio permotus Antonius familiarissimè Lucilium complexus est.

Antipater rogatus à Phocione, ut eum defenderet in caussa injusta, cui respondit: Nõ simul sum adulator, & amicus. Est amici petere ab amico justa, & honesta, nec potest amicus nisi in his consentire.

Erat commune fœdus Græcorum, ne qui aliis bellum inferrent, sed ut controversiæ communi judicio dirimerentur.

Orestis & Pyladæ amorem Ovidius 3. de Ponto 2. eleg. eleganter describit:

Sacrifici

Sacrifici genus eſt (ſic inſtituere priores)
 Advena virgineo cæſus ut enſe cadat.
Regna Thoas habuit Mæotide clarus in ora,
 Nec fuit Euxinis notior alter aquis.
Sceptra tenente illo liquidas feciſſe per auras
 Neſcio quam dicunt Iphigenian iter.
Quam levibus ventis ſub nube per æquora vectã
 Creditur his Phœbe depoſuiſſe locis.
Præfuerat templum multos ea rite per annos
 Invita peragens triſtia ſacra manu,
Cum duo velifera juvenes venere carina
 Preſſeruntq; ſuo littora noſtra pede.
Par fuit his ætas, & amor, quorum alter Oreſtes,
 Alter erat Pylades, nomina fama tenet.
Protinus immitem Triviæ ducuntur ad aram
 Evincti geminas ad ſua terga manus.
Sparſit aqua captos luſtrali Graja ſacerdos
 Ambiat ut fulvas infula longa comas.
Dumq; parat ſacrum, dum velat tempora vittis,
 Dum tardæ cauſſas invenit illa moræ,
Non ego crudelis juvenes ignoſcite, dixit,
 Sacra ſuo facio barbariora loco.
Ritus is eſt gentis. qua vos tamen urbe venitis
 Quodve parum fauſta puppe petiſtis iter?
Dixit, & audito patriæ pia nomine virgo
 Conſortes urbis repperit eſſe ſuæ.
Alter & è vobis dixit cadet hoſtia ſacris,
 Ad patrias ſedes nuncius alter eat.
Ire jubet Pylades carum periturus Oreſtem,
 Hic negat, inq; vicem pugnat uterq; mori.

Extitit hoc unum, quod non convenerit illis,
Cætera pars concors, & sine lite fuit.
Dum peragunt juvenes pulchri certamen amoris
Ad fratrem scriptas exarat illa notas.
Ad fratrem mandata dabat, cuiq; illa dabantur
(Humanos casus aspice) frater erat.
Nec mora de templo rapiunt simulachra Dianæ
Clamq; per immensas puppe feruntur aquas.
Mirus amor juvenum, quamvis abiere tot anni
In Scythia magnū nunc quoq; nomen habent.

Inter amicorum paria referuntur Theseus & Pyrithous, de quibus Theseum ita loquentem Ovidius 12. meta. inducit:

---Quæ te vecordia Theseus
Eurite pulsat ait? qui me vivente lacessas
Pyrithoum, violasq; duos ignarus in uno.

Idem 1. Trist lib. 8. eleg. de his ait:

Quod pius ad manes Theseus comes iret amico,
Tartareum dicunt indoluisse Deum.

Idem 2. de Pont. 3. eleg. de iisdem:

Pyrithoum Theseus Stygias comitavit ad undas.

Achilles propter raptam Briseidem adeo offensus erat, ut à bello prorsus abstineret, Græcosq; desereret. Sed cum audiisset Patroclum intimum suum amicum ab Hectore occisum esse; recordatione integerrimæ amicitiæ, quæ illi cum Patroclo intercessit, armatus non quievit, donec occiso Hectore veterem suum amicum ultus est. De his Ovidius 1. Trist. 8. eleg.

Quæ fuit Actoridæ cum magno semper Achille
Laudari solita est Hectoris ore fides.

Philippus Macedo cum post difficilem obsidionem Olynthum cepisset, latúsque singulis ministris permitteret, ut peterent, quod vellent; nullus ex illis sibi defuit, præter Satyrum comœdum, qui tacebat. Hunc cum rex adhortaretur, ut & ipse aliquid posceret; Nihil aliud, inquit, expeto, quàm, ut ex captivis mihi concedas duas Apollophanis intimi mei amici filias, quas jam nubiles meis sumptibus elocabo. Rex etsi Apollophani & ejus familiæ infensus erat: tamen certa Satyri amicitia mitigatus, & oblectatus puellas non tantum libertate donavit, sed insuper præclaram dotem addidit.

Amorem Nisi & Euriali Virgilius describit 5. Æneid.

Eurialus forma insignis, viridiq; juventa,
Nisus amore pio pueri.

Et paulo post:

---Nisus
Labitur infelix.
Non tamen Euriali, non ille oblitus amorum,
Nam sese opposuit Salio per lubrica currens
Emicat Eurialus, & munere victor amici.

Idem 9. Æneid. de his:

---Nisus
Ut stetit, & frustra absentem respexit amicum,
Euriale infelix, qua de regione reliqui? (volvens
Quave sequar? rursus perplexum iter omne re-

Fallacis sylvæ.

Nec longũ in medio tempus, cum clamor ad aures
Pervenit, ac videt Eurialum, quem jam manus omnis
Fraude loci, & noctis subito turbante tumultu
Oppressum rapit, & conantem plurima frustra.
Quid faciat? qua vi juvenẽ, quibus audeat armis
Eripere? an sese medios moriturus in hostes
Inferat? & pulchrã properet per vulnera mortẽ?

Duos deinde cum duobus telis occidisset:

Sævit atrox Volscens, nec teli conspicit usquam
Autorem, nec quo se ardens immittere posset.
Tu tamen interea calido mihi sanguine pœnas
Persolves amborum, inquit. simul ense recluso
Ibat in Eurialum. Tunc vero exterritus amens
Conclamat Nisus, nec se celare tenebris
Amplius, aut tantum potuit celare dolorem.
Me, me, adsum, qui feci, in me convertite ferrũ
O Rutuli, mea fraus omnis, nihil iste nec ausus,
Nec potuit: cœlum hoc, & conscia sydera testor.
Tantum infelicem nimium dilexit amicum.
Talia dicta dabat, sed viribus ensis adactus
Transadigit costas, & candida pectora rupit.
Volvitur Eurialus letho, pulchrosq; per artus
It cruor, inq; humeros cervix collapsa recumbit.
At Nisus ruit in medios, solumq; per omnes
Volscentem petit, in solo Volscente moratur.
Quem circum glomerari hostes hinc cominus atque hinc
Proturbant, instat non segnius, ac rotat ensem
Fulmineum,

Fulmineum, donec Rutuli clamantis in ore
Condidit adverso, & moriēs animā abstulit hosti.
Tum super exanimem sese projecit amicum
Confossus placidaq; ibi demum morte quievit.

De hac amicitia Ovid. 1. Trist. 8. eleg.

Euriali N isiq; fide tibi Turne relata
Credibile est lacrymis immaduisse genas.

In hac virtute voluntatum, & officiorum communio requiritur, ut idem velle, & idem nolle utrinque in animis sit, alterque cum altero officiis certet, nec quidquam grave putet, quod pro amico est subeundum. Hæc communio innoxia esse debet, quo non significatur ollæ amicitia, quam Ovidius 1. Trist. 8. eleg. sic depingit:

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.
Aspicis ut veniant ad candida tecta columbæ,
Accipiat nullas sordida turris aves?
Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam,
Nullus ad amissas ibit amicus opes.
Utq; comes radios per solis euntibus umbra est,
Cum latet hic pressus nubibus, illa fugit.
Mobile sic sequitur fortunæ lumina vulgus,
Quæ simul inducta nube teguntur, abit.

Sed magis consensio animorum excitatur, ut nec fucum, nec dolum alat, nec alteri negotium facessat, ut in otio sit: aut alteri faciat, quod sibi non vult fieri. Verus amor quævis pericula summis viribus ab amicorum capiti-

bus avertit, eorúmq; felicitatem quantum potest promovet. Hac animorum conjunctione cum selectis copulari debemus. Non enim tuta est cũ quovis amicitia, nec felix, si animi naturali antipathia dissident. Suasu igitur virtutis dianoëticæ boni eligendi sunt, quos morum, & studiorum similitudo arctissimè nobis conjungit. De hac virtute Proverb. 27. *Amicum tuum, & amicum patris tui ne dimiseris. Melior est vicinus juxta, quàm frater procul.* Cic. 1. offic. *Ea est jucundissima amicitia, quam similitudo morum conjugavit.* Ibid. *Omnium societatum nulla præstantior est, nulla firmior, quàm cum viri boni moribus similes familiaritate conjuncti sunt.* Ibid. *Nihil amabilius, nec copulatius, quàm morum similitudo bonorum. In quibus enim eadem studia sunt, eædemque voluntates, in his fit, ut æquè quisque altero delectetur, ac seipso, efficitúrque id, quod Pythagoras vult in amicitia, ut unus fiat ex pluribus.* Cic. de amic. *Verum illud est, quod vulgo dicitur, multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiæ munus expletum sit.* Ibid. *Amicus est tanquam alter idem.* Senec. in Epist. *Nullius boni sine socio jucunda possessio est.* Ibid. *Si vis amari; ama.* Senec. lib. de morib. *Amicos secreto admone, palam autem lauda.* Curt. lib. 8. *Firmissima est inter pares amicitia.* Plin. lib. 8. cap. 16. *Naturæ nihil placuit sine pari.* Pub. Mimus: *Mores amici noveris, non oderis.* Idem: *Amici vitia si feras; facis*

tua.

tua. Idem: *Amicos res opimæ parant, adversæ probant*. Cic. de amicit. *Amicus certus in re incerta cernitur*. Plaut. in Pseud.

Pauci ex multis amici sunt homini, qui certi sient. Ovid. 2. de reme. amo.

Semper habe Pyladen aliquem, qui curet Orestem. Martial.

Ut præstem Pyladen, aliquis mihi præstet Orestẽ.
Hoc non fit verbis Marce: ut ameris ama.

Huic virtuti inimica est solitudo, qua homines, ut infestos, fugimus, eorumque consortia ægrè ferimus. Ex altera parte inimica est nimia cum quibusvis familiaritas, qua turpibus, & inæqualibus consociati contemptum nobis parimus.

De pietate.

CAP. XIIII.

Hactenus amicitia fuit: Pietas est virtus officiosa, qua debita animi subjectiones superiores nostros agnoscimus.

Estq; obedientia, aut obseruantia.

Non temere, aut casu extitisse personarum, & officiorum distinctos gradus sacrę literę abunde testantur, nec minus pagani fatentur, dum Mercurium de cœlo missum fabulantur, qui hominibus persuaderet, ut conjunctis ædibus, & sub imperio viverent. Ut igitur inferiores suum superioribus tribuant, vult hæc

virtus, ut agnoſcant ordinationem divinam; & ſuperiores non cum indignatione ferant, aut jugum ſe æquo animo ferre ſimulent, ſed vera animi ſubjectione iis honeſtum locum concedant, quos eminere, aliiſque excellere vident.

De obedientia.

CAP. XV.

Obedientia eſt pietas, qua mandatum legitimè imperantis audimus, & exequimur.

Iſaacus injungit filio ſuo Jacobo, ut ſpretis Cananæis ex propinquis ſuis ducat uxorem. Jacobus etſi iter difficile, & longinquum ſibi imperari videbat; tamen illud æquiſſimo animo ſuſcepit, & Leam cum ſorore Rachele ex avunculo Labano natas uxores duxit.

Abrahamus jam decrepitus ad ſe vocat præcipuum ex ſuis ſervis, & mandat, ut non Cananæam, ſed cognatam filio ſuo Iſaaco conjugem daret. Servus domini ſui mandata audiens iter facit in Meſopotamiam, & Rebeccam Iſaaco abſenti deſponſatam ſecum ad Abrahamum adducit.

Jacobus filium ſuum Joſephum poſtulat, eique præcipit, ut ad fratres prope Sichem pecudes paſcentes pergeret, & quid agerent exploraret. Joſephus

phus se obedientiam patri debere sciens iter ingreditur, quamvis non cognitam haberet regionem, seq; sine errore iter illud non posse conficere perspiceret.

Josua duos exploratores emisit, ut Hiericho, & vicinas regiones explorarent. Etsi autem difficile, & periculosum erat inter hostes versari; tamen posthabitis omnibus periculis legitimum mandatum executi sunt.

Ehud cum interfecisset Eglon regem Moabitarum clangore tubæ convocat Ephraitas, eosque instruit; ut se duce tyrannidem Moabitarum destruerēt, quos Dominus in manus eorum jam tradiderat. Dicto obtemperantes Ephraitæ sequuntur Ehudem, & occupatis vadis Jordanis circiter decem millia Moabitarum cædunt.

Gedeon jussu Dei trecentos viros in numerosissimam Midianitarum multitudinem induxit, eósque tubis, hydriis vacuis, & facibus instructos in tribus locis circa Midianitarum castra deposuit hac conditione, ut se ducem imitarentur tubarum clangorem excitantes, hydrias frangentes, & bellico clamore Domini, & Gideonis gladium inclamantes. Hæc etsi absurdissima, & in præsentia periculosissima videbantur, cum numerosissimæ & armatæ multitudini occurrendum esset; tamen legitimè imperantem audierunt, & obedientes victoriam consecuti sunt.

Isai volens duci exercitus, quem Saul contra Philistæos duxerat, munusculū mittere, & simul

explorare, num filii ejus tum milites adhuc valerent, Davidem filium ablegat. Hic etsi ad castra ire non satis tutum esse noverat; tamen ut patri obtemperaret prompto, & facili animo ad exercitum proficiscitur.

Jojada sacerdos videns impietatem, & tyrannidem Athaliæ convocat duces & satellites, iisq́; juramento obstrictis verum regni hæredem ostendit addita instructione, qua tyrannidem, & injuste perpetratas cædes Athaliæ punirent. Hi legitimè imperantem audiunt, & cum Joas inauguratione solenni rex creatus esset, Athaliam tumultuantem interficiunt.

Petrus, & Johannes cum essent Hierosolymis capti, eisque principes, & sacerdotes denuntiarent, ut abstinerent in posterum à concionibus de Jesu crufixo; rectè censuerunt, principes & sacerdotes non decere, ut quid statuant, quod esset alienum à voluntate Dei, & respondentes dixerunt: Num justum sit in conspectu Dei vos potius audire, quā Deum, judicate. Non enim possumus, quæ vidimus, & audivimus non loqui.

Filii Jonadab patrem præcipientem ut à vino abstinerent cunctis diebus vitæ suæ, non tantum faciles audierunt, sed etiam maxima cum laude vinum evitarunt.

Samuel cum adhuc puer sub manu sacerdotis Heli esset; vocatus nocte à Domino, cujus vocem nesciebat, surgit, & ad sacerdotem Heli accedens quærit, quid velit, cui respondet sacerdos, se

non eum evocasse, jubétq; ut in lectum se recipiat. Secunda, & tertia vice vocatus nō offenditur, sed ut obedientiam præstet, bis adhuc surgit, & numquid velit sacerdos interrogat. Tandem Heli sentiens Deum velle cum eo colloqui, informat eum, quomodo respondere illum deceat.

Agesilaus dux Spartanus cum lætos successus haberet in Asia; Spartani crescente potentia Thebanorum revocant eum missa Scytala. quam cum accepisset; relicta maxima spe occupandi Persicum imperium mox in patriam redit.

Antalcidas legatus Spartanus à rege Persico impetravit edictum, quo rex Græcis omnibus pacem imperat, & bellum minatur iis, qui non sint obtemperaturi. Jurant igitur civitates Græcæ se obtemperaturas esse.

Modestiæ suscipientis, & obedientiæ exemplum illustre est Johannes Marchio Brandeburgensis, quem pater Fridericus testamentum conditurus sic fermè alloquitur: Primus ego dignitatem septemviralem acquisivi, cum essem Sigismundo Imperatori admodum fidelis, & familiaris, nunc cum ex hac vita evocer; curæ mihi est, ne decus tantum in familia nostra vilescat. Tibi, ut video, quietis, & tranquillitatis unicum studium est. In munere septemvirali præter sollicitudines, & labores assiduos nihil invenies. Eam ob caussam si tua voluntate possum; munus hoc testamento concedam Friderico, qui tibi ætate proximus est, & te exercitatior, atque ad labores

firmior esse videtur. Cui Johannes, Existimavi ante hoc tempus, chariorem tibi multo Fridericum, quàm me esse, cum illi sæpius blandirere, neque id non ægrè ferre potui. Nunc sententiam muto, & te, pater, amo, coloque, qui mihi otium, illi negotium suprema voluntate dimittis. & sic de successione judicio patris sapienter reipublicæ consulentis citra morositatem cessit.

Agesilaus interrogatus cur maximè omnium felices sint Spartiatæ; Quia, inquit, maximè præ reliquis se exercent, ut imperent, & obtemperent. Idem Scytalam in Asia accipiens ephoris sic rescripsit: Si quidē jubetis me ex lege redire; sequar epistolam, ac forte ipsam præveniam. Nam imperium non mihi, sed civitati, ac sociis gero. Ac tunc quidem verè, justéque dux imperat, quando & legibus, & Ephoris paret, vel quicunque in urbe sint magistratus.

Hæc virtus legitimè imperantem requirit, qui justo titulo jus regendi acquisivit, nec tumidus ambitione extra metas ruit, & superiori magistratui præjudicat, sed modestiæ suscipientis in mandando memor suo officio cum laude fungitur. Deinde vult, ut mandatum ejus audiamus. Quid enim præstet, qui aures difficiles aut segnes habet, nec rectè accipit, quod sibi demandatur? Tandem vult, ut etiam mandatum exequamur. Non enim sufficit, ut faciles simus in audiendo, sed etiam ut prompti existamus in negotio, quod susceptum

ptum est, conficiẽdo. Nam tum demum obedientes sumus cum facilitatem in audiendo, cum promptitudine in peragendo conjungimus. De hac virtute Proverb. 19. *Audi consilium, & suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis.* Proverb. 20. *Aurem audientem, & oculum videntem Dominus fecit utrumque.* Proverb. 23. *Audi patrem, qui genuit te, & ne contemnas, cum senuerit mater tua.* Proverb. 25. *Inauris aurea, & margarita fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem.* Augustin. *Quid iniquius, quàm velle sibi obtemperari à minoribus, & nolle obtemperare majoribus?* Bernhard. *Non attendit verus obediens quale sit, quod præcipitur, hoc solo contentus, quia præcipitur.* Æschyl. πειθαρχία γάρ ἐστι τῆς εὐπραξίας μήτηρ: *Obedientia enim est felicitatis mater.* Cum hac virtute pugnat inobedientia, qua quis superiores, ut legitimè imperantes non agnoscit, nec iis morem gerit. Deinde pugnat nimia facilitas, qua ad quorumvis placita in procinctu stamus expedientes etiam ea, quæ turpiter, & illegitimè mandata sunt.

De observantia.
CAP. XVI.

Observantia est pietas, qua reverentia, & cultu superiores nostros veneramur.

Eſtque obſervantia diuina, vel humana.

Quod diſtincti perſonarum, & officiorum gradus à Deo ſint, in genere hujus virtutis dictum eſt, & addidit Deus his, quos eminere voluit ſuum honorem, quem in primo Decalogi præcepto ſibi ipſi, in quarto Decalogi præcepto parentibus, & omnibus, qui parentum vicem gerunt confirmavit, ut ſunt magiſtratus, & præceptores, qui non corporis, ſed animorum bene inſtitutorum parentes rectè exiſtimantur. His reverentiam deberi affirmatur, qua potiſſimum animus regitur, ut honorificè de ſuperioribus ſentiat. Deinde debetur cultus, quo potiſſimum externi geſtus, & ſumptus comprehenduntur, iique tales, qui & reverentiæ, & honoris ſunt indices.

De obſervantia divina.

CAP. XVII.

Obſervantia divina eſt obſervantia, qua Deum ut conditorem, & ſervatorem noſtrum tota, & puriſſima mente colimus.

Abrahamus, Iſaacus, & Jacobus tanta pietate erga Deum fuerunt, ut hac Deus ipſe mirificè delectatus ſeſe crebro in ſacris literis Deum Abrahami, Iſaaci, & Jacobi nominarit.

David

David adeo coluit Deum, ut Deus ipse de hoc testetur, se invenisse virum ex animi sui sententia. De hoc Ecclesiasticus cap. 47. in omni tempore dedit confessionem sancto, & excelso in verbo gloriæ. De omni corde suo laudavit Dominum, & dilexit Deum, qui fecit illum, & dedit illi contra inimicos potentiam. Et stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos. Et dedit in celebrationibus decus, & ornavit tempora usq; ad consummationem vitæ, ut laudarent nomen sanctum Domini, & amplificarent mane Dei sanctitatem. Christus purgavit peccata ipsius, & exaltavit in æternum cornu ejus, & dedit illi testamentum regni, & sedem gloriæ in Israel.

Assa, Josaphat, Joas, Amasias, Asarias, Usias, Jotham, Ezechias, Josias reges Juda commendantur in sacris literis ob pietatem erga Deum; in primis celebres sunt Assa, Josaphat, Ezechias, & Josias, qui non tantum sua pietate Deum sanctè coluerunt, sed etiam apud omnes subditos obtinuerunt, ut verum Deum colerent, illúmque secundum verbi divini tenorem observarent.

Moyses insigni pietate erga Deum fuit, ut Deus ipse ad Aaronem, & Mariam dixerit: Si quis fuerit inter vos propheta Domini; in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquor ei, palam, & non per ænigmata & figuras Deum videt. Deinde in fine Deuteronomii hoc de ejus pietate

testimonium legitur: Et non surrexit propheta ultra in Israel, sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem in omnibus signis atque portentis. Ecclesiasticus de eodem hæc habet: Deus in fide, & lenitate ipsius sanctum sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. Audivit enim eum, & vocem ipsius, & induxit illum in nubem, & dedit illi cor ad præcepta, & legem vitæ, & disciplinæ, docere Jacob testamentum suum, & judicia sua Israel.

Prophetarum & Apostolorum religiosissimus animus non tantum sacris literis nobilitatus est, sed etiam plerorumque martyrio illustratus.

Sadrach, Mesah, & Abednego maluerunt in fornacem igne candentem mitti, quàm deserto vero Deo idolum erectum adorare.

Gentes etsi ex errore divina luce destitutæ ligna, & lapides, & ita truncos, non Deos adoraverunt; tamen singularem observantiam erga ficta sua numina ostenderunt. Maximam Deorum multitudinem effinxerunt, eosque non tantum reverentia, sed etiam sumptuosis ædificiis, & sacrificiis coluerunt. Et ne fortè ullum Deum præterirent, Athenis & Romæ ignoto Deo aram consecraverunt.

Constantinus Imperator, ut promoveret religionem Christianam, legem tulit, qua sacrificia, & statuas idolorum abrogavit, templa eorum clausit, & augures, ac ethnicos sacerdotes à commercio hominum prohibuit.

Theodosii

Theodosii primi Imperatoris jussu templa idolorum per Theophilum Episcopum, & Evagrium præfectum Alexandriæ destructa sunt. Idola excavata in urbe circumferri jussit, ut populus videret non idola, sed sacerdotes his inclusos interrogantibus respondisse. De hoc Ambrosius: Dilexi virum, qui cùm corpore solveretur, magis de ecclesiarum statu, quàm de suis periculis angebatur.

Theodosius, & Honorius, itémque Theodosius junior templa idolorum destruxerunt, nec reliquum fecerunt, quod veterem idololatriam in memoriam revocare posset.

Iulius Firmicus Maternus de errore profanarum religionum ad Cæsares Constantium, & Constantem scribit, easque abolendas censet propter has rationes. 1. Quod ab hominibus, & diabolis efficta sunt. 2. Quod ista religione mortui homines, & creaturæ pro Diis coluntur. 3. Quod Dii gentium homines ad omnis generis scelera invitant, ut Saturnus ad crudelitatem in liberos exercendam. Iupiter ad cupiditatem regnandi, impietatem erga parentes, & scortationes. Mars & Bellona ad bella, & tyrannidem. Venus, & Priapus ad scortationes, & incestas libidines. Mercurius ad furta. Bacchus ad luxuriam. Denique maxima Deorum turba ad scortationes, & id generis peccata. 4. Quod Prophetæ damnant gentium idololatriam.

Valentinianus, & Martianus Imperatores

lege caverunt, ne quis invocandi gratia idolorum templa jam clausa aperiret. Absit, inquiunt, à nobis ut turpissimis, & detestandis idolis antiquus honos exhibeatur, aut ut impia limina coronis ornentur.

Theodosius secundus Imperator fuit princeps eruditus firmus in doctrina symbolorum, & rectè invocans Deum, convocavit piam Synodum Ephesinam, in qua Nestorii impietas damnata est. Mos fuit Theodosio mane precationes dicere, & Psalmos canere cum conjuge, & sororibus. Scripsit sua manu libros novi testamenti, quorum aliquam partem quotidie legit: de dogmatibus cum doctissimis viris ita disseruit, ut intelligi posset, eum non inferiorem esse eruditione.

Antiochiæ Babyla senex cum tribus filiis jussus erat à Decio sacrificare idolis, quod cum facere recusarent, ducti sunt ad supplicium pater & tres filii. Cumque supplicio afficiendi essent; pater petivit prius interfici filios, ne spectantes patris necem fierent languidiores. Ipse interea, & mater astantes confirmaverunt filios. Postea mater cum fuisset spectatrix necis mariti, & filiorum; eos sepeliit.

Thales interrogatus an facta hominum Deos fallerent, respondit: nec cogitata quidem, ut non solum manus, sed etiam mentes puras habere nos deceat, cum secretis cogitationibus nostris cœleste numen adsit.

Carolus Magnus Imperator amplexus est symbola

bola, & rectè eruditus est ab Alcoino Bedæ auditore, & legit ipse Carolus multum Augustini libros, unde consentaneum est fulsisse in eo lucem veræ doctrinæ, ac fidei, ac rectè eum invocasse Deum in agnitione, & fiducia mediatoris. Hanc invocationem publicè ostendit. Quandocunque enim fuit in urbibus, accessit ad Psalmodiam, ut historia nominat, & una cecinit ipse, & filiis, & principibus distribuit lectiones canendas, & precationem suam cum piis serio conjunxit. Quam pulchrum exemplum fuit toti orbi terrarum tantum principem acie jam dimicaturum stare in templo, & se, & ecclesiam, & imperium Deo commendare, & precationem cum piis omnibus conjungere ipsum Imperatorem, & filios virtute præstãtes, & duces omnes cataphractos in panopliis distinctis auro, & ferro, & ad cœnam Domini reverenter accedere, ubi ostendebant se, & serio amplecti doctrinam de filio Dei, & propter justas caussas bella gerere, & auxilium à Deo bona conscientia petere. Extat in historiis forma testamenti Caroli Magni, in quo filiis præcipuè curam ecclesiarum commendat.

Incidit in Henrici Quarti imperium memorabilis illa nostrorum Argonautarum expeditio in Asiam, suscepta non cupiditate opum Orientis, ut olim principum Græciæ in Colchidem ad rapiendum aureum vellus, quæ tot poetarum est celebrata monumentis, sed consilio sanctissimo, studióque acerrimo, & ardentissimo, scilicet ut pro-

ferrent noticiam filii Dei ecclesiæ ampliatione, & orientem ereptum tyrannidi blasphemi dogmatis, & crudelis jugi Mahometici vindicarent, ac lucrarentur Christo. denique ut pro conservata, ac multis præclaris monumentis illustrata, & communicata nobis doctrina primæ ecclesiæ vicissim dispersas tota Asia reliquias Christianorum, & sine certa sede, sinéque publica doctrinæ voce errantes prædicatione verbi, & sacramentorum libera, solennique administratione colligerent rursus conditis templis, vel repurgatis instituto ministerio, legibus & judiciis descriptis. Dux hujus militiæ præcipuus fuit Godefridus Bilioneus Lotharingiæ princeps, cujus industria, magnitudine animi & virtute Henricus Quartus Imperator in bellis civilibus feliciter fuit usus, vir armis pariter, & consilio animoque promptissimus, & acerrimus.

In Friderico Barbarossa Imperatore fuisse præcipuum studium religionis ostendunt plurima monumenta. Multa enim collegia Regularium, ut vocant, instituit, ut in illis colerentur studia doctrinæ Christianæ, quæ videbat negligi in collegiis & monasteriis opulentioribus propter opes, & luxum.

Dux Wirtebergensis ut non tantum amorem erga religionem ostenderet, sed eandem etiam promoveret, non tantum in Academia Tubingensi celebres Theologiæ Doctores fovet, sed etiam singulis suis monasteriis Theologos præfecit, plerisq;

Doctores

Doctores Theologiæ, rarioribus magistros, eosque nõ minus in Theologia exercitatos: singulis etiam cœtum scholasticorum pro reditibus monasterii adjunxit, & hac in parte palmam omnibus Germaniæ Principibus repurgatam doctrinam amplectentibus præripuit.

Georgius Bojebracius, ac filii ejus Bojemi quãquam expositi essent odiis & periculis immensis, quæ conflarat eis pontificii anathematis execratio, & armis assiduè lacesserentur, non abjecerunt tamen agnitæ veritatis professionem.

Fuit quidam Episcopus Magdeburgensis Iohannes à Beichlingen, is cum à Collegio ad Episcopatum esset pertractus; fortè accidit, ut quidam dux Saxoniæ ob simultatem aliquam bellum ei inferre pararet. Episcopus tanquam altum somnum dormiens nihil contra talem vim parabat, sed curabat ecclesiam suam, in qua frequenter vitia corrigere lectione, & oratione diligenti conabatur, perinde ac si nullus esset belli metus. Cum autem dux Saxoniæ speculatores mitteret in aulam episcopi, & hi easdem res, quas viderant, retulissent; statim ab optimo principe intermissa est expeditio, & dimissi sunt milites his verbis: se longè esse inferiorem, quam ut contra eum pugnaret, qui non ingenti sumptu milites conduceret, & cõmeatum pararet, sed ardenti invocatione Deum pugnæ socium adsciceret, contra quem nemo unquam feliciter arma tulit.

C. Iulius Cæsar de seipso inquit apud Lucanum:

---Media inter prælia semper
Stellarum, cœli q; plagis, superisq; vacavi.

Johannes Fridericus Dux, & Elector Saxoniæ in captivitate sua præsentissimis vitæ periculis ob confessionem fidei suæ objectus nullis persuasionibus, nullis minis, nulla vi adduci potuit, ut ab unico mediatore Christo, quem ut unicum nomen, in quo nos salvos fieri oportet, constantissimè professus erat, ad innumeros mediatores in salutem ærarii Romani confictos relaberetur.

Albertus Dux Borussiæ dixit aliquando ad honestum, & doctrina excellentem virum à se ad docendum Evangelium in Borussiam vocatum: se toto pectore lætari, si videat occasionem benefaciendi theologis, & se verè theologorum colloquia pro deliciis habere. Ad hæc respondit minister: Hæc vox non solum principe digna, sed & sancta est, cum Deo ipsi benignè faciat, qui ministros & legatos ejus fovet, & amplectitur, studiúmque, & amorem conservãdi, & provehendi ministerium habet. Cui mox princeps: Sanctus ego non sum, at sanctorum consortio, & colloquio delector, & ô utinam mihi semper ad manum decem theologi sint vita, & doctrina probati, tum & suavius viverem, & suavius me mori scirem.

Hæc virtus in Deo est occupata, quem ut conditorem omnium agnoscit, nec aliunde omnia nostra, quàm ab ipso, extitisse profitetur. Deinde eum, ut servatorem, celebrat, qui non tantum nos, nostráque omnia in hac vita tempo-

temporali conſervat, ſed etiam qui providet, ne à dulciſſimo beatarum animarum concilio excludamur. Hunc Deum, qui immenſis hiſce beneficiis nos afficit, non leviter cultum vult, ſed totam mentem, eámque puriſſimam poſtulat. Cum enim nemo ſit, qui majeſtate, aut bonitate Deum vincat; rectè etiam ſummus, & maximus honor, cultuſque Deo optimo maximo defertur. De hac virtute Prover. 3. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus viis tuis cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos. Ne ſis ſapiens apud temetipſum. Time Deum, & recede à malo. Sanitas quippe erit umbilico tuo, & irrigatio oſſium tuorum.* Proverb. 14. *In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis ejus erit ſpes. Timor Domini fons vitæ, ut declinet à ruina mortis.* Hieron. *Rectus ordo eſt poſt Deum amare patrem, & amicos. ſi tamen neceſſitas venit, ut utrũque ſervari non poſſit; odium in ſuos pietas eſt in Deum.* Cic. 3. offic. *Cum in amicitia, quæ honeſta non ſunt, poſtulantur, religio & fides anteponãtur.* Cic. 6. Act. in Ver. *Omnes religione moventur, & Deos patrios, quos à majoribus acceperunt, colendos ſibi diligenter, & retinendos arbitrantur.* Cic. 2. de natur. Deo. *Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat. Itaq; & in noſtro populo, & in cæteris Deorum cultus, religionúmque ſanctitates exiſtunt in dies majores, atque meliores.* Ibid. *Cultus Deorum eſt o-*

ptimus, idémque castissimus, atque sanctissimus, plenissimúsque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta & mente, & voce veneremur. Ibid. *Omnibus innatum est, & in animo quasi insculptum esse Deos.* Ibid. *Mala, & impia consuetudo est contra Deos disputandi sive ex animo hoc fiat, sive simulatè.* Cic. 2. de legib. *Ad Divos adeunto caste: pietatem adhibento: opes amovento: qui secus faxit, Deus ipse vindex erit. Caste jubet lex adire ad Deos, animo videlicet, in quo sunt omnia, nec tollit castimoniam corporis, sed hoc oportet intelligi, cum multum animus corpori præstet, observetúrque, ut casto corpore adhibeantur, multo esse in animis id servandum magis. Nam incestum vel aspersione aquæ, vel dierum numero tollitur: animi labes nec diuturnitate vanescere, nec manibus ullis elui potest. Quod autem pietatem adhiberi, opes amoveri jubet, significat probitatem gratam esse Deo, sumptum esse removendum. Quid est enim cum paupertatem divitiis etiam inter homines esse æqualem velimus, cur eam sumptu ad sacra adhibito Deorum aditu arceamus? præsertim cum ipsi Deo nihil minus gratum futurum sit, quàm non omnibus patere ad se placandum, & colendum viam. Quod autem non judex, sed Deus ipse vindex constituitur, præsentis pœnæ metu religio confirmari videtur.* Cic. 1. Tuscul. *Nulla gens tam fera, nemo omnium tam immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio.* Livi. Decad. 1. lib. 2. *Religiones*

giones piè magis,quàm magnificè coli debent. C. Plin.sec.in Pane. Troja. Aug. *Animadverto Deos ipsos non tam accurratis adorantium precibus,quàm innocentia, & sanctitate lætari, gratioremque existimari,qui delubris eorum puram castámque mentem, quàm qui meditatum carmen intulerit.* Plin.lib.1.natur.histor. *Verum & Diis lacte rustici multæque gentes supplicant, & mola tantum salsa litant, qui thura non habent,nec ulli fuit vitio Deos colere quoquo modo posset.* P. Mimus: *Tutissima res timere nihil præter Deum.* Plaut.in Mili.glorio.

Et quod divinis in rebus sumas,sapienti lucro est.

Ovid.4.de Ponto 8.eleg.

Nec quæ de parva pauper Diis libat acerra
Thura minus grandi quā data lance juvant,
Agnaq; tā lactens,quàm gramine pasta Phalisco
Victima Tarpejos inficit icta focos.

Cum hac virtute digladiatur impietas, quæ Deum aut non esse, aut cum Epicureis humana non curare statuit. Deinde digladiatur hypocrisis,quæ magnam pietatem simulans Epicureismum plerunque in pectore fovet. Tandem digladiatur superstitio quæ proprio motu fingit novos Deos, aut cultus à Deo non mandatos,& probatos.

De observantia humana.

CAP. XVIII.

Observantia humana est observantia, qua homines eo, quo digni sunt cultu colimus.

Abraham agens cum filiis Heth honorifice illos flexis genibus alloquitur. Eodem observantiæ modo tres viros hospites in Mambre excipit.

Sem, & Japhet accipientes ex Chamo fratre parentem ebrium detectum jacere, aversa facie vestibus eum tegunt, ne contemni ulterius posset.

Jacobus cum sua familia fratri suo Esau obviam venit, quo ut placato uti posset, muneribus, & observantia delinitum sibi reconciliavit. Atq; ut actus esset splendidior, primo ancillæ cum suis filiis accedunt, & flexis genibus ei, quem possunt, honorem habent. Deinde Lea cum suis natis reverenter ad illum accedit. Tandem Rachel cum suo Iosepho officiosè, & peramanter eum observant.

Pharao somnii sui interpretationem ex Josepho audiens vel maximè eum observat dicens: Quoniam tibi soli Deus hæc abstrusa revelavit; non possum te præstantiorem, aut sapientiorem invenire, te præficio domui meæ, tibique morem gerent omnes mei subditi, teque tantum regia sede superior ero. Eundem postea splendidissime vestitum, & in toto regno regio curru vectum parentem, & præfectum supremum totius Ægypti proclamari jussit.

Fratres Josephi annonæ caritate coacti in Ægyptum profecti sunt, cumque in conspectum Josephi venissent, nec eum agnoscerent, procerem regni esse existimantes, coram eo in faciem procidentes frumentum petunt.

In illo die, quo Israelitæ Jordanem sicco pede transierunt, magnificavit Dominus Josuam coram omni Israelitico populo, ut timerent eum, sicut timuerant Moysen dum adhuc viveret.

Bathseba ad Salomonem filium sub initium sui regni veniebat, ut pro Adonia intercederet. Hanc videns Salomon surgit, eique obviam procedens honoris gratia se inflectit, cumque se recepisset in regiam sellam; matrem quoque in sella à dextris suis posita prius collocavit, quàm audiret, quid proponere vellet.

Darius tanti fecit Zopyrum, ut, cum pomum punicum in manu teneret; dixerit, se non optare majorem thesaurum, quàm ut haberet tot Zopyros, quod grana sint illius pomi.

Arato Sicyonio gratitudinis, & observantiæ ergo statua in patria erecta est cum his versibus:

Venit ad Herculeas quanquam tua fama columnas;
Dum patriam servas inclyte Arate tuam:
Nos tamen hanc statuam pro libertate recepta
Virtutis testem fecimus esse tuæ.
Communis tibi cum Diis servatoribus esto
Hic honor: in patriam nam pia jura refers.

Cæsar recepta Hispania, & pacatis omnibus

provinciis Romam mense Octobri rediit, ubi ei novi honores decreti sunt, ut Dictator perpetuus, & Imperator nominaretur, & sacrosanctus esset, id est inviolabilis, ἱερὸς καὶ ἄσυλος, & ut magistratus in ipsius acta jurarent.

Trajanus Imperator cum justus & beneficus princeps esset: senatus decreto ei hic honos habitus est, ut Princeps optimus nuncuparetur.

Quanta fuerit virtus Flavii Claudii Imperatoris ex hoc elogio intelligi potest, quod in senatu recitatum est: Claudi Auguste tu frater, tu pater, tu amicus, tu bonus senator, tu verè bonus princeps.

Probus Imperator honorificum testimonium de Caro ad senatum scripsit his verbes: Felix esset nostra respublica si plures Cari similes haberemus.

Juventus Romana tantopere senes honestos coluit, ut eos parentes suos nominaverit; in comitiis usque ad curiam, vel campum Martium deduxerit, & inde domum redeuntibus sese comitem adjunxerit. Ad convivia vocata diligenter hospites invitatos inquirebat, ne veniens senioribus, aut honestioribus locum praeriperet, aut ab hospite datum importunè fugeret.

Gellius narrat filium quendam qui magistratum gerebat cum patre privato Athenas ad Philosophum Taurum venisse, ut jus, & naturam regionis cognoscerent. Hos cum excepisset Philosophus, patrem prius sedere jubet, qui recusat illud

prae-

prætendens officia publica, quibus filius præesset. Huic Philosophus respondet, Sede, donec dijudicetur an pater, aut filius hac in parte sit præferẽdus. Sedente patre filio quoq; sella allata est. Deinde convivis omnibus præsentib. philosophus hanc suã sententiam proponit. Si in publicis locis agendum est, ubi magistratus persona requiritur; primas jure tenent illi, quibus magistratus officium commissum est. In conviviis vero, & privatis congressibus filium decere, ut jus naturæ observet, & patri primas deferat, nisi aliorum convivarum præsentia prohibeatur, quo minus illis præferat, quem sibi præponere jure deberet. Hæc sententia ab omnibus convivis approbata, & laudata est.

Civis Atheniensis senex in theatrum veniens occupatis sedibus locum quærebat, nec erat ex Atheniensibus, qui vellet cedere. Delatus tandem ad Lacedæmonios simul omnes surrexerunt, senemque sessum receperunt. Hanc observantiam populus videns publicè eam commendavit hoc encomio, quod in sola Sparta juvet consenescere. Athenienses vero hoc dicterio notati sunt: Scire quidem eos, quid honestum sit, sed non facere.

Æschines Philosophus nunquam non præceptorem suum Socratem in publicum prodeuntem deduxit, quem tanto in honore habuit, ut Socrates dixerit: Solus nos colere novit Æschines.

Helius Adrianus Imperator liberalitatis, & observantiæ exemplo emeritos professores Romæ

honoribus, & congiariis auxit, ut honestè, & tranquillè, quod reliquum vitæ esset, transigerent.

Sigismundus Imperator cum reprehenderetur à quibusdam principibus, quod doctos nimis amplis honoribus cumularet; respondit: Cur non colerem, & magnifacerem eos, quos natura præ cæteris exornavit, iisq; prætulit? Scipio Africanus tanti fecit Ennium poetam, ut eum perpetuo secum habuerit, & columnam in sepulchro ejus erigi curaverit.

Johannes Campegius Bononiensis cum professio ei Patavii decreta, eumque jam appropinquare compertum esset; totus senatus cum professoribus omnibus huic celeberrimo viro obviam processit, eumque amplissimis honoribus ornatum excepit.

Virgilio in theatrum ingredienti, & carmina sua recitaturo populus Romanus assurrexit, ac si ipse Imperator esset. Augustus natalem ejus, qui est XV. *Octobris, quotannis singularibus ceremoniis celebravit.*

Dionysius tyrannus Platoni in Siciliam venienti navem pulcherrimè exornatam misit, qua veheretur, & egredientem è nave currui imposuit, quem quatuor albi equi trahebant, ut Plato de prolixa Dionysii voluntate nihil in dubium vocaret.

Humilitatem, & observantiam simul (nam hæ duæ virtutes plerumque mutuas operas tradunt) ostendit Cn. Pompejus, qui ad ædes Posido-

nii

nii philosophi delatus noluit postes fascibus ferire, ut consulibus mos erat, quo indicare voluit, se maximi hunc virum facere.

Liberalitatem, & observantiam suam erga Hippocratem Artaxerxes ad Hiscanum praefectum suum scribens sic prodidit: Hippocratis medici Aesculapio prognati ad me fama pervenit. Da igitur operam, ut aurum illi tribuas, quantum cupit, aliaque iterum quorum indiget, eumque ad me mitte. Erit enim par honore summis in Perside viris, & si quis alius in Europa vir clarus fuerit; hunc amicum nostrae domui redde, nec parce pecuniis.

Seneca in Epistolis hanc erga alios observantiam declarat: Si consulem video, aut praetorem; omnia quibus honor haberi solet, faciam, equo desiliam, caput adaperiam, semita cedam. Quomodo ergo M. Catonem, & Laelium sapientem, & Socratem, cum Platone in animum meum sine dignatione summa recipiam? ego illos veneror, & tantis nobilibus assurgo.

In Henrico Marchione Misniae, qui cum Henrico duce Brabantino de successione Thuringiae, & Hassiae contendens Thuringiam obtinuit, tanta fuit excellentia virtutis, ac sapientiae, tanta animi magnitudo, ut cognomentum Illustris ob res gestas, & Munifici ob liberalitatem meruerit, & apud Fridericum Imperatorem plurimum valuerit gratia, & autoritate.

Carolus Quartus Imperator cum in conven-

tu principum celeberrimo, & frequentissimo in urbe Metensi condidisset legem Carolinam, Aureæ Bullæ nomine celebrem ac notam; Wilhelmum *Marchionem Iuliaci provexit in ordinem Ducum,* Wenceslaum *fratrem Lucelburgi comitem pro duce se gerere jussit. Idem Bartolum Saxoferratum Jureconsultum in honore, & pretio habuit.*

Matthias Corvinus Bojemus expertus sapientiam & fortitudinem Alberti ducis Saxoniæ patris Georgii, atque Henrici ducum, ita postea eum coluit, ut quanquam odisset; huic tamen soli inter Christianos principes encomium magni ducis & militaris virtutis, ac felicitatis gloriam tribuere sit solitus.

Hæc virtus statum & conditionem cujusvis hominis considerat, ut quemvis eo, quo par est, cultu observet. Ut enim non omnes ejusdem conditionis sunt: ita non æqualis honor omnibus sano judicio dari potest. Virtute igitur Dianoëtica investigandum est, quo quis cultu dignus sit, isque prompto, & facili animo vel hosti exhibeatur. De hac virtute Proverb. 20. *Exultatio juvenum fortitudo eorum, dignitas senum canicies.* Proverb. 27. *Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua.* Proverb. 27. *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum: sic probatur homo ore laudantis.* Proverb. 31. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo: mulier timens*

mens Dominum ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus. Surrexerunt filii ejus, & beatissimam prædicaverunt, vir ejus, & laudavit eam. Augustinus lib. 5. de civit. Dei: *Gloriam, & honorem non debet sequi virtus, sed ipsa virtutem. unde honores, quos expetunt multi, Cato petere non debuit, sed eos civitas ob ejus virtutem non petenti dedit.* Bernhard. *Qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est.* Cic. de claris orat. *Honor est præmium virtutis studio, judicioque civium ad aliquem delatum.* Cicer. *Si quis ad gloriam assequendum laborat, talem se efficiat, qualis vult haberi. Quod si ostentatione inani, & ficto sermone, vel vultu stabilem se gloriam assequi opinatur, vehementer errat. Vera enim gloria radices agit, ficta omnia celiter tanquam flosculi decidunt, neque simulatum quidquam potest esse diuturnum.* Idem: *Observantia est, per quam homines aliqua dignitate antecedentes cultu quodam, & honore veneramur.* Idem: *Veneratio est virtus, qua reverentiam exhibemus majoribus in corporis humiliatione, gestu, nutu, & verborum emissione.* Idem: *Ea demum perfecta, & jucunda laus est, quæ ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt.* Cicer. pro Marcel. *Nulla est tanta vis, tanta copia, quæ non ferro, ac viribus debellari, ac frangi possit: verum animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium nobilitate, in-*

genio, virtute præstantem non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem, hæc qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico. Senec. in Epist. *Cum velis veram hominis æstimationem habere, & scire qualis sit; nudum inspice, deponat patrimonium, deponat honores, & alia fortunæ mendacia, corpus ipsum exuat, animum intuere qualis, quantus sit, alieno, aut suo magnus.* Ibid. *Si hominem videris intrepidum, & inexpugnabilem periculis, intactum cupiditatibus, inter adversa felicẽ, in mediis tempestatibus placidum, ex superiori loco homines videntem; nõ subjicit te veneratio ejus, vis istuc divina descendit.* Idem lib. de virt. *Non te moveat dicentis autoritas, nec quis, sed quid dicat intendito.* Idem lib. de morib. *Non quàm multis placeas, sed qualibus stude.* Boeti. *Non possumus ob honores reverentia judicare dignos, quos ipsis honoribus indignos judicamus.* Ovid. 5. Fasto.

Magna fuit quondam capitis reverentia cani,
Inq; suo pretio ruga senilis erat.

Juven. satyr. 14.

Maxima debetur puero reverentia si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos.

Ab hac virtute dissidet rusticitas, quæ asinino suo judicio nec hominum, nec officiorum, nec honorum gradus novit, & hoc nomine erga omnes æquè turpiter se gerit. Deinde dissidet adulatio, quæ vel falsa persuasione, aut

aut ſimulatione ſui commodi cauſa cuivis minimè digno ſummos honores defert.

De virtute rependente.

CAP. XIX.

Hactenus virtus officioſa fuit: ſequitur virtus rependens.

Virtus rependens eſt virtus communis, qua cuique pro conditione noſtra referimus id, quod factis ſuis eſt meritus.

Eſtq; gratitudo, aut juſtitia.

Hæc virtus aliorum facta expendit, eaque præmiis, aut pœnis proſequitur, prout hiſce, aut illis digna ſunt. Hîc autem conditio noſtra examinanda eſt, ne vel ultra vires quid aggrediamur, aut extra vocationis noſtræ carceres erumpentes in præjudicium ſuperiorum quid ſtatuamus. Aliud enim publicam, aliud privatam perſonam decet: aliud ſuperiori, aliud inferiori convenit: aliud à ſingulis tractari poteſt, aliud communi deliberatione, & conſenſu decidendum eſt. Quilibet igitur officii ſui metas rigidè ponderet, ut in rependendo juſtus eſſe poſſit.

De gratitudine.

CAP. XX.

Gratitudo est virtus rependens, qua beneficia accepta agnoſcimus, & viciſſim pro viribus benefacimus.

Eſtque gratitudo animi, aut gratitudo facti.

Hæc virtus circa beneficia verſatur, per quamcumq; etiam virtutis officioſæ ſpeciem nobis exhibeantur. Illa autem ſi jam in nos collata ſunt, non permittit hæc virtus, ut vel negentur, vel extenuentur, aut oblivione obruantur, ſed vult ut agnoſcamus etiam minimum, quod apud nos poſitum eſt, beneficiũ, quod ſæpe non tam ſua natura, quàm eo tempore, aut loco datum magnum fit. Deinde vult ut ad recompenſationem nos accingamus, ſed ita, ut vires noſtras exploremus. Rectè enim Ovidius 3. de Pont. 4. eleg.

Ut deſint vires; tamen eſt laudanda voluntas.
Hac ego contentos auguror eſſe Deos.
Hæc facit ut veniat pauper quoq; gratus ad aras,
Et placeat cæſo non minus agna bove.

Idem 4. de Pont. 8. eleg.

Sed qui quàm potuit, dat maxima gratus abun- (de eſt,
Et finem pietas contigit iſta ſuum.
Nec quæ de parva pauper Diis libat acerra
Thura minus grandi quã data lance juvant.
Agnaq; tam lactens, quàm gramine paſta Phaliſco
Victima Tarpejos inficit icta focos.

De hac virtute Pub. Mimus: *Beneficium accipere est vendere libertatem*. Idem: *Beneficia plura recipit, qui scit reddere.*

De gratitudine animi.

CAP. XXI.

Gratitudo animi est gratitudo, qua erga beneficos animum gerimus, qui ad beneficiorum acceptorum recompensationem, & benè precandum promptissimus est.

David plurima Dei beneficia in sese collata non tantum grata mente agnoscit, sed etiam plurimis Psalmis mirificè celebrat.

Melchisedech rex Salem agnoscens auxilium quod Abraham captis, & vicinis regionibus tulit, animi magis, quàm facti gratitudinem ostendit dum panem & vinum ei obtulit addita præclara benedictione: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit cœlum & terram, & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.

Sic Rex Sodomorum animo gratissimus erga Abrahamum victorem fuit, dum subditos suos sibi reddi petit, reliquam prædam omnem Abrahamo concedit, quam tamen hic modestia suscipiente prohibitus non voluit sibi vendicare.

Moyses, & Israelitæ cum ex captivitate, &

servitute Ægyptiaca mirando modo liberati essent; grato animo beneficium agnoverunt, & publico præconio Deum authorem ejus celebraverunt.

Judith occiso Holoferne rediens adhortatur populum ad gratitudinem sic inquiens: Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se, & interfecit manu mea hostem populi sui.

Tres pueri in fornace candenti liberationem divinam grato animo celebrant. Deinde Nabuchodonosor rex per totum suum regnum grata, & memori mente tantum beneficium prædicari jubet.

Samaritanus agnoscens se mundatum esse à lepra revertitur ad Christum, eiq́; maximas gratias agit, quas non potuit referre.

Romani parta aliqua insigni victoria ducentes triumphum primo omnium Capitolium ingressi sunt, & Diis suis pro tanto successu gratias egerunt.

Naëman Syrus videns se depulsa lepra pristinæ sanitati restitutum grato animo impellitur, ut ad Elisæũ redeat, & prædicata Dei bonitate munera satis ampla offerat, quæ tamen Elisæus recusat. Et licet Naëman instet, & urgeat Elisæum, ut dona suscipiat; tamen nihil potest impetrare. Postea minister Elisæi inscio illo sequitur Syrum, & fingit dominum suum petere talentum cum duabus vestibus duplicibus. Naëman hisce

auditis ut non tantum animi sui, sed & facti gratitudinem ei significaret coegit eum, ut duo talenta cum dictis vestibus susciperet.

Tobias senior vocans ad se filium deliberat cum illo de gratia comiti ejus referenda. Quid possumus, inquit, dare viro isti sancto, qui venit tecum? cui junior Tobias dixit: Pater quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? sed peto à te mi pater, ut offeras ei dimidium omnium bonorũ, quæ nobiscum attulimus. Hanc gratitudinem filii approbat pater, & comiti ad se vocato dictam bonorum partem donat, qua cum ille non egeret laudata animi gratitudine totam reddidit.

Paulus Apostolus gentium beneficia quo & ipsum, & sanctos, qui erant Hierosolymis, obstrinxerant, tam grato animo secum volvit, ut passim in suis epistolis earum liberalitatem mirum in modum extollat.

Alexander Magnus interrogatus an patri Philippo plus deberet, quàm Aristoteli præceptori, respondit: se plus debere præceptori, quàm parenti. Ab hoc enim se habere vitam: ab illo vero, ut benè posset vitam traducere.

Philippus rex Macedoniæ obses Thebanis datus, & a Philone hospite suo multis beneficiis affectus erat, qui recompensationem nullam admittere voluit. Hac beneficentia motus Philippus Philonem sic alloquitur: Non possum tibi concedere, ut me beneficiis tuis vincas, & gratitudinis

laudem mihi præcidas. Non enim mihi in memoriam revocare possum, extitisse aliquando in me aliorum beneficia, quæ non illis jucundiora meis meritis fecerim.

Diogenes cum ab optimo suo amico Diotimo Carisio pecuniam dono datã accepisset, nec haberet, quod referret; benè illi ad hunc modum precatus est: Dii, qui pia facta vident, dent tibi longè meliora, & præstantiora, quàm fuerunt, quæ in me collata sunt, teque voti tui compotem faciant.

Hæc virtus monstrat, quomodo erga beneficos affecti esse debemus, cum factis, quod in nos collatum est, non possumus rependere, id quod nunquam non solet evenire, cum Dei benefacta cnnsideramus. Ut enim Deus major est, quàm ut ope humana indigeat: ita & ejus beneficia illustriora sunt, quàm ut par gratia referri possit. Deinde & creberrimè accidit, cũ à superioribus, & ditioribus in tenues & inferiores, aut à salvis in afflictos beneficia conferuntur. Si igitur in tali casu gratitudo nostra desideratur, animo magis quàm facto præstanda est. Ut autem hæc gratitudo sit in aliquo numero, animus promptissimus appareat ad recompensationem acceptorum beneficiorum, nec fugiat, aut declinet ullam remunerandi occasionem. Deinde etiam sit promptissimus ad bene precandum, ut quod facto præstare non potest, piis votis, & precibus pro successu benè de nobis meritorum fa-

ctis suppleat. De hac virtute Augustinus: *Gratias agere Deo possumus, referre non possumus.* Idem in Epist. ad Marcel. *Quid melius & animo geramus, & ore premamus, & calamo explanemus, quàm Deo gratias? hoc nihil dici brevius, nec audiri lætius nec intelligi, nec agi fructuosius potest.* Bernhard. *Danti rependi quidquam gratius ab accipiente non potest, quàm si gratum habuerit, quod gratis accepit.* Cassio. *Qui quanta sibi gratia collata sit, nescit, quantas largitori grates debeat non intelligit. Non enim potest quis plenè intelligere, quod accepit, nisi meminerit.* Sene. lib. 2. de benefic. *Nunquam tibi referre gratiam potero, tamen illud certe non desinam ubique confiteri me ferre non posse. Nam qui gratè beneficium accipit, primam ejus pensionem solvit,* Senec. lib. 1. de benefic. *Reddit beneficium, qui libenter debet.* Senec. lib. 2. de benefic. *Qui gratus futurus est, statim dum accepit, de reddendo cogitat.* Ibidem: *Nullum est tam plenum beneficium, quod non vellicare malignitas possit. Nullum tam angustum, quod non bonus interpres extendat.* Cic. 2. fam. 6. Epist. *Est animi ingenui cui multum debeas, eidem plurimum velle debere.* Cic. de Amicit. *Officia meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare, qui contulit.* Q. Curt. lib. 9. *Beneficiorum gratia sempiterna est.* Plin. lib. 1. *Est benignum, & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris.* Virgil.

Et bene apud memores veteris ſtat gratia facti.

Ab hac virtute alienus eſt animus ingratus, qui beneficia apud ſe poſita extenuat, aut obliterat, nec unquam de reddendo cogitat.

De gratitudine facti.
CAP. XXII.

Gratitudo facti eſt gratitudo, qua beneficia nobis exhibita donis, & officiis rependimus.

Pharao rex Ægypti maximis opibus auctus erat pio, & ſapienti conſilio Joſephi. Hoc beneficium agnoſcens Pharao patrem & fratres Joſephi clementiſſimè ad ſe vocat, iiſque terram Goſen additis neceſſariis alimentis concedit.

David memor defenſionis, & officiorum ſibi à Jonatha praſtitorum Mephiboſethum filium ejus donatum agris menſæ ſuæ quotidie adhibuit. Deinde Barſillai optimè de ſe meritum invitat, ut ſecum Hieroſolymam proficiſcatur, eique regium victum per totam ejus vitam promittit, quem Barſillai propter ætatem repudiavit, & Chimehamo impetravit. Eundem David filiis Barſillai apud filium ſuum Salomonem moriens confirmavit.

Athenienſes ut Ariſtidi pro liberata à Perſis patria gratiam referrent filiam ejus publicis ſumptibus elocarunt, & Lyſimachum filium ejus pecu-

pecuniis, agris, & annuis reditibus locupletarunt.

Fabricius consul Romanus bellum gerens cum Pyrrho Epirotarum rege literas accipit à Medico Pyrrhi, quibus promittit se veneno necaturum Pyrrhum. Cum autem consilium ejus non successisset; Fabricius honestius esse statuens armis, quam veneno pugnare, Pyrrhum admonet, ut sibi ab insidiis suorum caveat, ne aliquando veneno tollatur. Pyrrhus ut hanc gratificationem aliquo munere recompensaret, omnes ex Fabricii exercitu captos incolumes dimisit. Fabricius, ut se quoque gratum probaret vicissim captivos ad Pyrrhum remisit.

Carthaginenses duriter à Scipione afflicti legatos ad eum miserunt, ut de pace agerent, quos, nisi secum Terentium liberum afferrent, audire noluit. Cum igitur secunda vice redirent, & Scipioni Terentium traderent, hunc secum judicem esse voluit, & auditis legatis bellum composuit. Ut igitur Terentius gratitudinem suam exprimeret, pileo tectus, quo liberti solebant uti, triumphantem Scipionem secutus est, ut spectatoribus omnibus significaret se memorem, & gratum esse, quod ex tristi servitute a Scipione ereptus sit. Mortuo deinde Scipione suis sumptibus pompam funebrẽ auxit & ornavit.

Darius nondum ad regnum evectus mirè Silosontis chlamyde delectabatur, nec tamen ausus fuit eam petere. Hoc sentiens Silosontes Dario eam

dono dat. Postea cum Darius rex creatus esset, ut gratus existeret, & non tantum chlamydem, sed etiam Silosontis promptum animum sibi admodum placuisse demonstraret, Samiis eum præfecit, & ita honoribus, & divitiis auxit.

Crito Philosophus ut gratus esset in Socratem præceptorem suum toto vitæ suæ tempore necessaria illi suppeditavit.

Gratitudinis simul & justitiæ distributivæ exemplum est Sanctius tertius rex Castulonensis, qui intelligens fratrem Ferdinandum Pontium comitem bello adortum esse, eique bonam ditionis partem jam eripuisse, licet summus patris ejus amicus fuerit, & individuus periculorum ejus comes; subito colligit exercitum, & fratri nihil tale timenti occurrit. Ferdinandus grave futurum timens cum duobus hostibus rem habere, supplex ad Sanctium accedit, & bellum deprecatur, cui Sanctius respondet, se non hostilem animum gerere, sed motum amicitia, & fidelitate Pontii comitis, qua communi eorum parenti charus fuit, cupere, ut Pontio erepta restituantur, & defendatur potius, quàm bello difficili implicetur, & exhauriatur. Hoc cum Sanctius à Ferdinãdo facile impetrasset, res tota feliciter composita fit.

In bello Ægyptiaco Cæsar multum adjutus est Antipatri principis Idumæi, qui fuit pater Herodis, consilio & fide. Quare ei Cæsar Judæam regendam, & fruendam tradidit.

Fridericus Barbarossa Imperator proscripto in per-

perfidiæ pœnam Henrico Leone, Saxonici ducatus ditionem ac dignitatem transtulit in Bernhardum Anhaldinum, Bavaricum ducatum in Ottonem Witelsbachium, ut compensaret utrique navatam in bellis Italicis fidelem operam, & hoc beneficium utrique confirmavit coram. Tradunt etiam scriptores magno consensu Ducem Bojemiæ primum apud hunc Fridericum regiam dignitatem rebus præclare gestis ad Mediolanum promeruisse, quod de renunciatione, & confirmatione publico ac solenni ritu facta accipiendum videtur.

Hæc virtus præcedentem tanquam effectum suam causam rectè sequitur. Si enim animus memor & gratus existit; autor etiam est, ut vicissim in beneficum omnis generis officia conferantur. Potissimum autem duobus modis gratiam referre possumus. Aut enim donis beneficia in nos collata rependimus: aut officiis nostris id ipsum præstamus. De hac virtute Cic. de claris orat. *Hesiodium illud laudatur ab omnibus, qui eadem mensura reddere jubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore si possis.* Cic. 1. offic. & Senec. in Epist. *Nullum officium magis referenda gratia necessarium. Nam si Hesiodus jubet reddere majore mensura, quàm acceperis utenda; quid debemus facere provocati beneficio? Imitari agros fertiles, qui multo plus reddunt, quam acceperint. Quia si non dubitamus bona conferre his, quos speramus nobis pro-*

futuros, quales debemus esse in eos, qui jam profuerunt? Nam demus vel non demus in nostra potestate est: non reddere verò bono viro non licet, si absque injuria id facere possit. Senec. 3. de benefic. *Ad reddendam gratiam opus est & tempore, & facultate & aspirante fortuna. Nihil tam necessarium, aut majori cura discendum, quàm beneficium dare, & gratias agere.* Senec. in Epist. *Hoc certè justitiæ convenit suam cuique reddere beneficio gratiam.* Ibidem: *Credamus itaque nil esse grato animo honestius. Omnes hoc urbes, omnes etiam ex barbaris regionibus gentes conclamabunt, in omni judiciorum diversitate referendam benemerentibus gratiam omnes uno ore affirmabunt, in his discors turba consentiet.*

1. Cum hac virtute pugnat ingratitudo, quæ licet benè meritos optimè noverit, & habeat, unde vicissim his benignè faciat, tamen nec minima in parte quid beneficii in illos refert.

2. Deinde pugnat prodigalitas, quæ gratitudinem ultra vires extendens se, suaq; perdit.

De justitia.

CAP. XXIII.

Hactenus gratitudo fuit: sequitur justitia.

Justitia est virtus rependens, qua ad societatis humanæ conservationem cuique damus, quod ei debemus.

Estque

Eſtque juſtitia commutativa, aut diſtributiva.

Hæc virtutis ſpecies etſi ferè ſuo generi virtuti ſcilicet communi ęqualis eſt, tamen revera reſtricta eſt, dum ad ſocietatis humanæ cõſervationem propriè ſpectare dicitur. Non enim tam ſolvitur ſocietas humana, ſi quid in virtute officioſa, aut gratitudine peccatur, quàm diſſipatur eadem, cum in contractibus & defenſione bonorum, ac pœnis malorum juſtitiæ ratio non habetur. Quid igitur reſpectu hujus ſocietatis cuique debemus hîc non ſolum inquirendum eſt, ſed etiam juſtè unicuique exhibendum. De juſtitia in genere Cic. 2. offic. *Fundamentum perpetuæ commendationis, & famæ eſt juſtitia, ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile.* Livi. *A veritate laborare nimis jus ſæpe ajunt, extingui nunquam.* Idem: *Ubique jus, fas, lex potentiſſima ſunt.* Idem: *Nulla lex ſatis commoda omnibus eſt.*

De juſtitia commutativa.

CAP. XXIIII.

Juſtitia commutativa eſt juſtitia, qua ſecundum legitimum contractum bona fide præſtamus, quod debemus.

Abraham quærens conjugi ſuæ mortuæ ſepulturam, & videns commodam eſſe duplicem ſpe-

luncam in finibus agri Ephronis, cum hoc viro transigit, ut justa mercede soluta sibi & hæredibus suis sepeliendis eam acquirat. Etsi autem Ephron in præsentia filiorum Heth Abrahamo speluncam cum agro gratis obtulit; noluit tamen Abrahamus acquiescere donec constituto pretio quadringentis videlicet siclis argenti, & probatæ monetæ publicæ numeratis agrum cum spelunca suum fecit.

Hujus justitiæ, & simul fidelitatis studiosum Jacobus se esse profitetur, dum operas suas fideles recitat, & de Labani injustitia conqueritur, qui decies mercedem, qua illum conduxit, fraudulenter mutavit.

Josephus Ægyptiis fame pressis passim frumenta justo pretio vendidit. Postea cum destituerentur nummis, legitima permutatione pro armentis, & gregibus frumentum dedit. Tandem Ægyptii agros venales offerunt, seque in servitutem tradunt. Hic contractus cum esset iniquior, Josephus libertatem illis reliquit integram, agros dato frumento emit. Ne tamen exhausti nimium egerent, Josephus agros Pharaoni verè emptos paterno affectu subditis reddidit, sed hac lege, ut quinta frugum pars quotannis ad Pharaonem rediret.

Jacobus filios suos ablegans in Ægyptum ut frumentum emerent sufficienti pretio instruit, quod & numerant ministris Josephi, qui jussu domini sui clam saccis eorum denuo id inserunt,

quod

quod fratres Josephi partim in itinere, partim domi integrum reperiunt. Deinde cum redeundum illis esset in Ægyptum non tantum pecuniam, qua frumentum emerent, sed etiam quam sibi redditam invenerant secum ferunt, & utramq; dispensatori domus offerunt, qui tamen noluit accipere, quod sibi non debebatur.

Abrahamus ut justo titulo, & pacificè possideret fontem, quem servi ejus foderant, ab Abimelecho rege septem agnis eum sibi vendicat.

David ex præcepto Gadi Prophetæ erecturus altare in area Arafnæ petit, ut eam sibi vendat. Arafna non tantum aream, sed & bovem regi ut donum offert. Sed noluit David hæc prius recipere, quam numerasset Arafnæ quinquaginta siclos argenti.

Exercebant judicia, ut Xenophon refert, adolescentes inter sese, & postea sententiarum rationem magistro reddebant. Venerant autem in judicium duo, quorum alter procerior detraxerat tunicam longiorem breviori adolescenti, & ei curtam tradidit. Cyrus audita utriusque oratione jussit procerum tenere longam tunicam, alterum curtam. propter hanc sententiam plagas accepisse dicitur. Quia justitia est æqualitas, non quæ nobis videtur, sed quam lex ordinat. Hæc autem facit hanc æqualitatem, ut suum quisque teneat, & prohibet furta.

Solon primam tulit legem, ne deinceps liceret ullum liberum corpus propter debita, aut usuras

in servitutem trahi. Item ut tunc usuræ, quæ ad id tempus debebantur omnes remitterentur, & ipse primus remisit quinque talenta, id est, tria millia coronatorum. Hunc modum etiam usurarum instituit, ne plus peteretur quàm usura centesima id est, centesimo mense sortem æquans, ut si de centum dantur duodecim, quæ usura hodie ferè nautis, & mercatoribus est concessa.

Hermes Ægyptius tanta integritate fuit, ut nunquam non justum pretium pro merce solverit, & sæpe plus dederit, quàm postulatum fuit, si venditor visus est bonitatem mercis non satis expendisse.

Pater Empedoclis cum plus æris alieni contraxisset, quàm posset solvere; calatho impositus, & aqua perfusus est. Hac enim ignominiæ nota obærati notari solebant.

Cicero 3. officiorum tale exemplum proponit. Si vir bonus ab Alexandria profectus Rhodum magnū frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia, & fame, summáque annonæ caritate, si idem sciat complures mercatores Alexandria solvisse, navésque in cursu frumento onustas petentes Rhodum viderit; dicturúsne sit Rhodiis id, an silentio suum quamplurimo venditurus? Sapientem & bonum virum fingimus, de eius deliberatione, & consultatione quærimus, qui celaturus Rhodios non sit, si id turpe judicet. Ita nec ut emat melius, nec ut vendat quicquam simulabit aut dissimulabit vir bonus.

Cicero

Cicero 3. officiorum hoc quoque exemplum habet: Ac de jure prædiorum, inquit, sancitum est apud nos jure civili, ut in his vendendis vitia etiam dicerentur, quæ nota essent venditori. Nam cum ex duodecim tabulis satis esset ea præstari, quæ essent lingua nuncupata, quæ qui inficiatus esset dupli pœnam subiret: à Jureconsultis etiam reticentiæ pœna est constituta. Quicquid enim inest prædio vitii, id statuerunt si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset, præstari oportere. Ut cum in arce augurium augures acturi essent, jussissentque Titum Claudium Centimalum, qui ædes in Cœlio monte habebat, demoliri eas, quarum altitudo officeret auspiciis; Claudius proscripsit insulam, vendidit, emit P. Calphurnius Lunarius. Huic ab auguribus illud idem denunciatum est. Itaque Calphurnius cum demolitus esset, cognovissetq; Claudium ædes suas postea proscripsisse, quod esset ab auguribus demoliri jussus arbitrum illum adegit, quid sibi de ea re facere oporteret ex fide bona. M. Cato judex ita pronuntiavit, cum in venundādo rem eā scisset, & non pronuntiasset emptori damnum præstare oportere. Igitur ad fidem bonam statuit pertinere notum esse emptori vitium, quod nosset venditor.

Senatus Northusanus ingruente fame, & annonæ caritate, suis civibus nunquā non frumentum vendit, idq; minori pretio, quàm in foro exponitur servata cuiusq; œconomiæ proportione, ut non publica calamitate, aut à fœneratoribus exhauriantur.

Hæc virtus circa legitimos contractus versatur. Sunt autem hi contractus legitimi, qui non pugnantes cum jure naturæ, & probatis legibus ad societatis humanæ conservationem prosunt, in quibus mutua dilectio ita dominatur, ut nihil magis, quam æqualitas approbetur. In his contractibus accurate observandum est, quid utrinque promissum sit, ut solutio conveniens sequatur. Nam bona fide præstandum est à quolibet contrahentium, quod debetur. quod ut rectius fiat, tempus quoque, quo plerumque contractus circumscribitur, ne quid contra justitiam fiat dando, & faciendo præcisè observari debet. Et quoniam contractus potissimum hi sunt: Do ut des. Do ut facias. Facio ut facias. Facio ut des; dans simul & faciens sibi invicem bene cupere, datum, & operam justa lance expendere, dolúmque cum mora summo studio debent evitare. De hac virtute Proverb. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Deum, & pondus æquum voluntas ejus*. Proverb. 16. *Pondus, & statera judicia Domini sunt, & opera ejus omnes lapides seculi.* Proverb. 29. *Vir fidelis multum laudabitur. Qui autem festinat ditari non erit innocens.* Ambros. *Regula justitiæ manifesta est, quod à vero non deceat declinare bonum virum, nec damno injusto afficere quenquam, nec aliquod dolo annectere rei suæ.* Cic. 2. offic. *Tanta est vis justitiæ, ut ea etiam latronum opes firmet,*

met, atque augeat. Cic. 3. offic. *Ergo unum debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas uniuscujusque, & universorum, quam si ad se quisque rapiat, dissolvetur omnis humana consociatio*. Ibidem: *Inter bonos benè agier oportet*. Senec. lib. 3. de benefic. *Æquissima vox est, & jus gentiũ præ se ferens, Redde quod debes*. Regula est: *In contractibus requiritur bona fides*. Cum hac virtute pugnat dolus in contractibus, quo contrahentium alter æqualitate non servata decipitur. Pugnat injustitia, qua quis emolumenti sui caussa contra leges cum aliis contrahit, eosque non levi damno afficit. Pugnat dilatio, qua vel dandum, vel faciendum non sine contrahentis jactura differtur. Pugnat tandem rigiditas, qua contractus legitimus tam strictè observatur, & urgetur, ut in casu necessitatis nullus æquitati locus concedatur.

De justitia distributiva.

CAP. XXV.

Justitia distributiva est justitia, qua dignam pœnam de peccantibus ad defensionem bonorum pro ea, qua sumus cõditione sumimus.

Estq; lenitas, aut nemesis.

Hæc virtus in defendendis bonis, & puniendis malis potissimum est occupata. Ut autem

boni defendi possint, religionem illorum, libertatem, & bona non minus, quàm vitam eorum commendatam habeamus, nec patiamur, ut quicquam de his illis detrahatur, aut imminuatur. Deinde malorum injurias castigemus, ut boni ab hisce tuti sint. Sed hîc tenendum est, ut pœna non gravior delicto decernatur, nec facto puniatur, quod verbis correxisse sat est, non odium, non ira, non munera, non autoritas, sed justæ leges audiantur, quod Thebani in Hieroglyphicis suis expresserunt, dum judicem cęcum, & manibus truncatum proponunt. Huc pertinet Terentius apud Valerium Maximum, qui intuens villicum suum male agentem, Sumpsissem, inquit, à te pœnas nisi tibi iratus essem. Maluit enim impunitum relinquere, quàm per iram amplius justo punire. Deinde suam quilibet conditionem examinet, indeque colligat, qua pœna justè in delinquentes possit animadvertere. Longè enim aliud publicam, quàm privatam personam hac in parte decet. De hac virtute Proverb. 22. *Non facias violentiam pauperi, quia pauper est, neque conteras egenum in porta, quia judicabit Dominus caussam ejus, & configet eos, qui confixerunt animam ejus.* Proverb. 24. *Cognoscere personam in judicio non est bonum. Qui dicunt impio justus es, maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus. Qui arguunt eum laudabuntur, & super eos veniet benedictio.*

nedictio. Cic. lib. 1. offic. *Nullum est tempus, quod justitia vacare debeat.* Senec. de Clemen. ad Nero. *In corrigendo hæc tria lex secuta est, quæ princeps quoq; sequi debet, ut aut eum, quem punit, emẽdet, aut pœna ejus cæteros meliores reddat, aut sublatis malis cæteri securiores vivant.* Regula est. *Vigilantibus non dormientibus jura subveniunt.* Item: *Qui jure suo utitur nemini facit injuriam.* Item: *Actore non probante reus absolvitur.* Item: *A sententia non ab executione incipiendum est.* Item: *Actus contra legem pro infecto habetur.* Item: *Qui non habet in ære luat in corpore.* Philip. lib. 2. epigram.

Deniq; vita hominũ tranquilla, & honesta manebit
Servandi leges dum pia cura manet.

Idem:

Leges, libertas, & pax sunt optima dona.

De lenitate.

CAP. XXVI.

Lenitas est justitia distributiva, qua sufficientibus caussis moti de pœna nonnihil remittimus.

Estq; necessaria, aut probabilis.

Verissimum est, quod dicitur, reipublicæ interest delicta nõ esse impunita. Nulla enim re facilius, & citius tota vitæ humanæ societas dissipari potest, quàm delictorum impuni-

tate. Hæc igitur virtus non pœnam delinquētibus remittendam, sed tantum mitigandam esse censet, neque etiam temerè aut quavis de caussa hoc permittit, sed vult judicem graves, & sufficientes caussas habere, quibus adductus mitiorem pœnam sontibus statuat, ne bonos lædat, dum parcit malis. De hac virtute Senec. *Non minus turpia sunt principi multa supplicia, quàm medico multa funera.* Idem: *Objurgationi semper aliquid blandi admisce: facilius penetrant verba, quæ mollia vadunt, quàm quæ aspera.* Ovid. 4. Tristib. 5. eleg.

Quo quisq; est major, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,
Pugna suum finem cum jacet hostis habet.
At lupus, & turpes instant morientibus ursi,
Et quæcunq; minor nobilitate fera est.

De lenitate necessaria.
CAP. XXVII.

Lenitas necessaria est lenitas, qua sine dolo malo peccantes, & miserè afflictos leniori pœna afficimus.

Pharao rex Ægypti Saram, quam Abrahami sororem esse putabat inter concubinas suas retulerat, sed pœnis adigitur, ut Abrahamo eam reddat, quem duris verbis castigat, quod deceptum

ptum pœnis subjecit; nec tamen quid durius in illum statuit, quem intelligit non animo malitioso, sed timore adductum peccasse. Eodem modo ab Abimelecho in eodem facto corrigitur.

Servi Abimelechi regis vi eripiunt fontem, quem servi Abrahami foderant. quod factum in præsentia Abimelechi Abraham reprehendit, ut injustum. Abimelechus non iniquè fert hanc castigationem, suamque justitiam non ei defuisse prodit: Nescivi, inquit, istius facinoris autorem, neque tu quenquam apud me accusasti, neq; ego quicquam hac de re nisi hodie audivi.

Pharao rex Ægypti intelligens pincernam suum non tam malitiosè peccasse ut pistorem, hoc in furcam acto illum post captivitatem aliquot dierum liberat, & in pristinum locum restituit.

Fratres Josephi mortuo patre supplices à Josepho petunt, ut non eos memor injuriarum affligat. His respondet Josephus se agnoscere, quod non tam eorum malitia, quàm Deo negotium dirigente in Ægyptum translatus sit, ut multorum hominum vitæ consuleretur, neque se ulterius illis succensere, præsertim cum partim verbis, partim carcere duriter eos antea exercuisset.

Anaxilaus præfectus Byzantii cum urbem fame expugnatus hostibus aperuisset; Spartæ capitali supplicio dignus judicatus est, qui tam munitam civitatem hostibus in manus tradidisset. Ad hæc respondet Anaxilaus, se non amplius tot fune-

ra fame necatorum aspicere potuisse, nec jus belli requirere, ut insontes fame tollerentur, præsertim cum urbs tandem in hostium potestatem necatis omnibus, & ope destitutis ventura sit.

Pausanias dux Græcorum vincens Persas ad Plateas cum admoneretur à quibusdam, ut capita ducum Persicorum interfectorum cruci affigeret, sicut Persæ caput Leonidæ regis Spartani simili contumelia affecerant, respondit: se mortuos nulla contumelia affecturum esse, ac satis sibi esse, si justa faciens ac dicens Spartanis suis placeat.

Anaxilaus Byzantinus videns truculentiam Clearchi ducis Laconici, cum Alcibiade de patriæ deditione paciscitur. Qui absente Clearcho acceptus intra urbem dimicavit cum præsidio, & milites partim interfecit, partim cepit. Civium vero nullus interfectus est, nullus ex patria pulsus, nulla facultatum direptio facta est. Anaxilaus postea Spartæ propter deditionem urbis accusatus cum honestissima excusatione uteretur; absolutus est, cum diceret, bella gerenda esse cum hostibus, non cum natura rerum, & injustum esse, tristiora facere defensores adversus cives, quam facerent hostes captis urbibus.

Pausanias in urbe Sparta accusatus, quod non defendisset triginta tyrannos, se excusavit, quod injusta crudelitas sociorũ non fuerat approbãda, aut adjuvanda, & satis fuerit Athenienses retineri in societate Lacedæmoniis promissa, ibi pares calculos tulit, quo more significatũ est eũ absolvi.

The-

Themistocles cum suis consiliis, & fortitudine Xerxen devictum esse vidisset; ulterius cogitavit, qua ratione Atheniensium vires augeret, & ad populum refert se habere consilium, quo Athenienses principatum in tota Græcia obtinere possent, petitque, ut daretur ex populo, quo cum hoc consilium tuto communicare posset. Designatur Aristides, quem docet, Athenienses facile posse superiores evadere, si classem Lacedæmoniorum in portu incenderent. Hoc consilium Aristides ad populum retulit indicans utile quidem esse, sed non honestum. Mox populus Themistoclē hoc consilio à justitia aberrantem corrigit his verbis: Quod non honestum est, nec utile potest esse.

Augustus Imperator cœnans cum Pollione supplicem audivit servum, quem Pollio dissectum piscibus objici jussit, quod vitrum crystallinum fregisset, cumque satis pœnæ esse tantum timorem, quem Pollio servo incusserat, rectè judicasset liberum eum pronuntiat, & baculo reliqua crystallina vasa diminuit, ne in simili casu Pollio in posterum tyrannicè cum delinquentibus ageret.

Renatus dux Lotharingicus à Carolo Burgundo in exilium pulsus est, quem tamen postea auxiliis Helveticis instructus ad oppidum Nancejum vicit, & trucidatum invenit. Nihil autem ulterius in mortuum dolo malo jam carentem statuit, sed ut honorificè deduceretur, & sepeliretur curavit.

Henricus Quartus Imperator cum ei significaretur regium monumentum Rudolpho Suevorum duci extrui, & instigaretur, ut prohiberet, quo minus hic honos hosti haberetur; nihil durius in mortuum voluit statuere, sed respondit, se non invidere ei sepulturæ honorem, & optare, ut omnes ejus hostes talibus monumentis conditi sint.

Theodosius secundus Imperator cum ab amicis admoneretur, ut adversarios suos gladio puniret, respondit se malle mortuos suscitare. Esse enim boni principis levia errata condonare, aut leniter punire: atrocia vero delicta justa severitate prohibere.

In concilio Niceno cum multi episcopi se mutuo accusarent, & libellos suos Constantino Imperatori traderent, collectos omnes in fasciculum compegit, ut eos rebus gravioribus compositis dijudicaret. Hunc fasciculum in exitu Synodi proferri jussit, & adhuc obsignatum in ignem conjici inspectantibus omnibus episcopis, & addidit hæc
" *verba: Sacerdotum crimina non efferenda esse*
" *in publicum, quia talibus scandalis hominum a-*
" *nimi à doctrina abalienentur, ac* ἀμνηστίαν *priva-*
" *tarum offensionum sanxit, hortatus eos, ut eandem doctrinæ vocem sonarent omnes, & eccesiarum concordiam tuerentur.*

Hæc virtus circa eos versatur qui sine dolo malo peccant. Hi ut deprehendi possint, inquirendum est an peccans per se, aut per acci-

dens

dens egerit,& quo fine facinus susceperit. Si enim ut caussa per accidens egit, nec malum finem sibi proposuit; minuitur peccatum nec tam graviter est puniendum. Inter caussas per accidens ignorantia refertur, quæ duplex est. Aut enim est ignorantia juris, quàm Aristoteles ignorantiam universalem dicit, cum quis negligit ea, quæ maxime scire oportuit, & hæc suam pœnam meretur, tantum abest, ut excuset. Aut est ignorantia facti, quæ particularis ab Aristotele dicitur, quando adhibita justa diligentia, erratur tamen sine cupiditate in aliqua circumstantia singulari, quæ subito, aut mediocri diligentia non potuit deprehendi, & hæc ut extenuat factum; ita etiam verè excusat, sed ita tamen, ut non omni pœna peccantem liberet. Sine dolo etiam mortui sunt, licet » in vivis existentes fuerint malitiosi. In hos igitur sævire, aut duriter animadvertere hæc virtus non permittit. Huc pertinent etiam delicta occulta, quæ tecta esse tutius est, quàm apertè punire. Cum enim quilibet bonus præ- » sumatur, donec contrariũ probatur; carere et- « iam dolo creduntur, qui occulte ad istum mo- « dum peccant, licet revera sine dolo non sint. « Deinde versatur hæc virtus circa miserè afflictos, qui vel corpore, vel animo post commissum facinus summas difficultates perpessi sunt, & sic pœnæ partem nõ contemnendam jam subierunt. His ut nonnihil de pœna re-

mittatur, justissimè præcipitur. Nunquam enim sine summa injustitia pœna delictum superavit. De hac virtute Proverb. 19. *Erudi filium tuum, ne desperes, ad interfectionem autem ejus ne ponas animam tuam.* Augustin. *Eum qui secreto peccavit in te, secreto corripe. Nam si solus nosti, & eum vis coram aliis arguere, non es corrector, sed proditor.* Idem: *Plurimum interest quo animo quisque parcat. Sicut enim est aliquando misericordia puniens; ita & crudelitas parcens.* Senec. de Clement. *Tam omnibus ignoscere crudelitas est, quàm nulli.* Regula est: *Benignior sententia in dubiis præferenda est.* Ab hac virtute dissidet rigiditas, quæ nec justissimis caussis ad mitigationem pœnæ adducitur. Deinde dissidet impunitas, qua quævis delicta magno cum detrimento reipublicæ, & bonorum omnium impunita dimittuntur. Rectè enim Antisthenes ait: corruere respublicas si non differentia inter bonos, & malos observatur.

De lenitate probabili.

CAP. XXVIII.

Lenitas probabilis est lenitas, qua propter bonum publicum tolerabiliorem pœnam de sanabilibus sumimus.

Saul rex Israelis cum jam esset electus, & non deef-

deessent, qui Imperium ejus despicerent, & detrectarent, dissimulavit hanc injuriam. Noluit enim a suppliciis regnum auspicari, & rigiditate animos subditorum abalienare. Deinde cum victis Ammonitis milites ejus illos contemptores ad supplicium deposcerent; noluit quenquam ex suis eo die plecti, quo regnum illustri victoria ei confirmatum fuit. Deo itaque, & conscientiæ eorum pœnam commendavit.

David post exilium suum reductus cum belli duces autores essent, vt Simei capitali supplicio afficeretur; noluit illos audire, ne supplicio illius tristem, & turbidum diem redderet, quem lætum, & felicem novo regno illucescere voluit, contentus quod sui duces cruentis verbis delictum illud correxerunt.

M. Antoninus Philosophus Imperator scripsit librum de seipso, in quo sunt, commonefactiones de virtutibus principi necessarijs de justitia, de beneficentia, de patientia in ferendis injuriis, ne majora mala oriantur.

Horatius cum post difficilem pugnam Albanos vicisset, & sororem suam flentem, magisq; de sponsi sui Albani, quam de patriæ salute solicitam offendisset; vehementi ira commotus eam interfecit, cumque raperetur ad pœnam, amore erga patriam, & heroica ira eum excusante, & factum leniente absolutus est.

Philippus rex Macedoniæ cum amici ejus vellent, vt quendam malè de eo loquẽtem in exilium

pelleret; respondit, se minimè eum esse pulsurum, ne oberrans inter plures calumnias cumularet.

Agesilaus Lacedæmoniorum dux in corona sui exercitus semper illum solitus est adhortari, ut captos non inhumaniter tractaret, sed homines esse meminerit, quibus respublica aliquando uti posset.

Suasu Alcibiadis classis Attica cum exercitu quadraginta millium hominum ducibus Alcibiade & Nicia in Siciliam missa est. Sed ut hæc expeditio ex ambitione suscepta, ita infelix fuit, & exercitus magna ex parte captus, & trucidatus est. Multi autem Athenienses captivi dimissi sunt propter hoc solum officiū, quod Siculis tragœdias Sophoclis, & Euripidis communicaverāt. Sic sese publicè commendaverunt, quod essent tales, apud quos beneficia benè collocarentur.

Usitatum fuit apud Spartanos, ut qui ex acie fugerant, judicarentur infames, qui quidem ab aliis civibus discernebantur vestitu, & barba, ac licebat cuilibet prætereuntem verberare, nec licebat eis uxores ducere. Cum autem multi nobiles, & fortes viri ex fuga domum post pugnam Leuctricam rediissent, & essent, qui usitatum morem de his, qui fugerant servari vellent; accessit ad concionem Agesilaus, & jussit, ut sinerent leges eo die dormire, quia calamitas accidisset non ignavia civium, sed iniquitate fortunæ. in posterum autem ab eo die leges seruandas esse.

C. Julius Cæsar Dyrrachino prælio à Pompejo

victus

victus ad Pharsalum constituit, quem Pompejus sequitur, & denuo cum illo congreditur, in quo prælio Cæsar vincit trucidatis quindecim millibus in exercitu Pompeji, & captis viginti quatuor millibus. Cumq; Cæsar ingentem stragem Pompejanorum vidisset; alta voce clamavit: Miles parce civibus. Sic imperio subditos ut nervos conservare voluit.

Mediolanenses cum Pontifice in Fridericum Barbarossam Imperatorem conspirarunt, cumq; multa hostiliter in Imperatorem fecissent; hic Alpibus superatis traduxit exercitum in Italiam. Mediolanum vi expugnatum solo æquaturus repressit indignationem, cum sese cives ad genua ipsius supplices projecissent gestantes signa reatus, suspensos de cervicibus strictos gladios, & affixas pectoribus cruces. Censuerant & militiæ duces servandam esse tam pulchram urbem, & dignum esse majestate, & magnanimitate Imperatoris parcere promiscuæ multitudini, & animadvertere in authores. Est & hæc ratio non obscura, quod civitates imperiales singulari fide imperatoribus obstrictæ præcipuus eorum nervus sunt, quibus singulis per totum Imperium ut oportunis castris, si opus est, uti possunt, ex quibus etiam satis ampli reditus in Imperii fiscum deferuntur. Si igitur vel evertuntur, aut ad alienos dominos perveniunt, Imperio nervus præciditur, & reditus ejus minuuntur. Tutius igitur est incolas sediotiosos ad unum omnes cadere, aut deportatis illis novas co-

lonias inducere servata civitate, & ejus libertate, quam illa diruta aut in aliorum potestatem redacta Imperium simul mulctare.

Octavianus Augustus victo Antonio, & multis hostium urbibus, Alexandriæ captæ pepercit aut propter Alexandrum urbis funditorem, aut propter Arium Philosophum, cujus opera in suis studiis multum erat usus, aut ut multitudinem civium conservaret, qui populo Romano sæpe auxilio fuerunt, & in posterum esse possent.

Alcibiades ad exercitum Atticum qui in Samo erat proficiscitur, ubi honorifice exceptus est. Erat autem hic exercitus Athenas navigaturus, ut statum quadringentorum, qui recens in discordia civium constitutus erat, destrueret, eam ad rem ducem esse Alcibiadem voluit. Sed Alcibiades imperium accipere noluit, videns cives cum civibus dimicaturos esse. Ita tunc servavit patriam, quia imperium contra quadringentos non accepit, ac potius hortando ac precando una cum Thrasybulo perfecit, ne iratus exercitus Athenas accederet. Postea rursus Athenis concordia facta est.

Captis Athenis à Lysandro duce Laconico valde contenderunt Thebani, & Corinthii, ut funditus delerentur. Sed Lacedæmonii contra senserunt, non delendam esse urbem ante hoc bellum sæpe optimè meritam de tota Græcia in reprimendis barbaris, & obtinuerunt etiam, ut servata sit.

Agesilaus

Agesilaus cum Thebanis ad urbem Coroneam dimicans vulneratus est. Ex eo prælio cum multi in vicinum templum fugissent jussit parci templo, & dimitti incolumes omnes, qui eo confugerant. Concessit & Thebanis petentibus cadavera interfectorum ad sepulturam.

Athenienses bello petiti se impares videntes, legatos ad Antipatrum mittunt. Hos cum audivisset Antipater, respondit, se nõ aliter pacem concessurũ esse, nisi ea cõditione se dederent, quàm Leosthenes ad Lamiam ipsi tulerat, ut suo arbitrio omnia permitterentur. Cogente necessitate commiserunt Atheniẽses, ut statueret de eis quicquid vellet. Sed Antipatri moderatio salutaris fuit urbi. Præsidium Macedonicum in urbe collocatum est, & concessum Atheniensibus, ut suis legibus uterentur, sed ita ut non admitterentur ad magistratus, qui censum non habebant. Et multis civibus turbulentis volentibus migrare Antipater Agros in Thracia dedit. Pecuniam ne civitas penderet, Phocion impetravit.

Otto primus Imperator nuptiis secundis Ludolphum filium, &, Berengario filioque ejus Alberto in regnum Longobardiæ restitutis, Conradum sapientem generum offendit, qui in Imperatorem conspirant. cumque Ludolphus auxilio comitum Schirensium Ratisbonam occupasset, Otto re comperta obviam filio procedit, eoque sine prælio fugato, & intra urbem Ratisbonam cum Arnolpho Schirensi concluso universas copias

urbi admovit, quam post longam obsidionem tandem fame expugnavit, cum paulo ante Arnolphus Schirensis, cujus virtute urbs defensa fuerat, in velitatione quadam trucidatus esset. Capta Ratisbona & mox copiis etiam, quæ Moguntiam tenebant, dissipatis omnes hostium conatus elisit. Filio & genero nudis pedibus ad genua ipsius advolutis, & culpam multis lacrymis deprecantibus ignovit. Conradi sapientis ope postea feliciter usus est Imperator contra Hungaros, quo in prælio sagitta trajectus decubuit, cum propter æstum galea aperta faciem nudasset.

Otto primus Imperator ratus exemplo fore opus ad retundendam toties iteratam Romanorum contumaciam, Romam acceleravit. Etsi autem ante adventum Imperatoris ad urbem autores captivitatis metu dimissum Pontificem restituerant, nihilominus perrexit Imperator, & tredecim ex illis, quos compererat fuisse principes consilii de Pontifice capiendo, servata multitudine & urbe, suspendio punivit.

Hæc virtus bonum publicum inprimis attendit, quod non tantùm magistratus, sed etjam privati commendatissimum habere debent. Hoc ut promoueatur sæpissimè moderatio pœnæ instituenda est, ut in victoria si imbelles servantur, qui aut nihil, aut parum dolo peccant; lenitas necessaria est. Si multitudo servatur; lenitas probabilis est. Prodest enim reipublicæ subditos, ut nervos conser-

vare,

vare,& commendat victores clementia,ut victi facilius pareant, & hostes sine cruenta victoria se subjiciant, aut pacis conditiones admittant. Sic parcendum est confugientibus in templa,nisi sint insigniter malitiosi,& insanabiles. Plurimum enim refert,ut his summa reverẽtia exhibeatur, & sępe publicas calamitates attrahunt,qui hæc contumeliosè tractant. Sic Imperatores,reges,& principes cum inauguratione solenni magistratum suscipiunt lenitatis non severitatis exempla statuunt, ut subditi se nõ tyrannum,sed moderatum principem ad rerum gubernacula admittere statuant, & paterno principum affectu inducti non tam ore dubio, quàm constanti pectore fidelitatem præstent. Sic sæpe parcendum est hostibus,ut capitivi liberẽtur,aut ut gratitudo exerceri & amicitia reipublicæ utilis simul cõstitui possit. In his & similibus casibus hæc lenitas locum habet, sed necessario additur, ut illi,quib. de pœna remittendum est,sint sanabiles. Si enim sese à malitia non abstinere possunt, venia digni non sunt, nec potest è republica esse, ut clementer dimittantur, quo de Cicero 5. Verri. *Est utilius unius improbi supplicio multorum improbitatem coercere, quàm propter multos improbos uni parcere.* De hac virtute Cic. 2. offic. *Est non modo liberale paululum nonnunquam de suo jure discedere, sed etiam fructuosum.* Senec. lib. 2. de ira. *Necessaria ve-*

nia est, ubi totus desævit exercitus. Ibidem: *Tollitur iram sapientis turba peccantium.* Quintilian. lib. 7. *Princeps qui vult omnia scire, necesse est ut multa ignoscat.* Sic Sigismundus Imperator dicere solitus est: *Qui nescit dissimulare, nescit imperare.* Regula est: *Aliquid permittitur gratia virtutis, quod aliàs non permitteretur.* Ab hac virtute aliena est rigiditas, quæ cū damno reipublicæ sanabiles punit. Deinde aliena est nimia clementia, quæ perversæ bonum publicum expendens reipublicæ parcendo plus nocet, quam prodest.

De Nemesi.

CAP. XXIX.

Nemesis est justitia distributiva, qua sine mitigatione pœnam delicto legitimo modo dictam sontibus dolosis irrogamus.

David intelligens Rechobum, & Baenam interfecisse dominum suum Isbosethum, ut gratiam apud eum inirent, trucidare eos jussit, postea ut truncatis manibus, & pedibus suspenderentur curavit.

Julianus Imperator etsi tyrannicè egit cū Christianis; tamen ex aliis neminem nisi satis cognita, & dijudicata caussa condemnavit. cumque ex consiliariis quidā ei objiceret: Quis tandem nocēs deprehendi poterit, si cuilibet se purgare permittitur?

tur?

tur? respondit, Quis tandem innocens erit, si tantum actores audiendi sunt?

Alexander Magnus in judiciis solitus est alteram aurem tegere, ut illam reo integram reservaret.

Romana legio, quam nominant Campanam præsidii caussa in urbem Rhegium collocata Rheginos cives interfecit, & eorum bona, & agros occupavit. Romani igitur ut ostenderent se fidem sociis debitam non velle violare, punire suos milites decreverunt, & potiti urbe Rhegio trecentos, quia non plures in consulis potestatem venerant, securi percusserunt. cæteri sceleris socii in oppugnatione perierant.

Severus Imperator milites, qui Pertinacem Imperatorem interfecerāt exautoratos ex Imperio expulit. Interfecit & Lætum præfectum prætorio, qui autor fuerat necis Commodi, & Pertinacis Imperatorum.

Trajanus Imperator cum aliquando peregre abire vellet, occurrit ei vidua quædam petens, ut mortem filii sui occisi ulciscatur. Trajanus in reditu suo facturum se boni magistratus officium promittit. vidua instat, & quærit: Quis autem mihi opem feret te non redeunte? Hæc moverunt Imperatorem, ut mox in autores cædis animadverterit.

Philippus rex Macedoniæ cum mulieri opem petenti diceret, sibi nō esse otium, ut jam ei succurreret, respondit mulier: Noli igitur regnare. Hac

correctione rex motus nõ tantum mulieri, sed singulis subditis promptum, & facilem se postea exhibuit.

Alexander Severus Imperator tam studiosus justitiæ fuit, ut nunquam novam legem, aut sententiam in judicio tulerit, nisi prius viginti doctis & sapientibus viris consultis. idem Imperator Ulpianum jurisconsultum, cum milites in eum impetum facturi essent, texit sua purpura, & milites repressit. Severe disciplinam militarem rexit exautorata semel integra legione, tribunis militũ capitali supplicio affectis. Hæc mandata tribunis dedit: Si vis tribunus esse, imo si viuere vis, manus militũ contine: nemo segetes atterat: nemo salem, oleum, ligna auferat: Nemo ovem alterius rapiat: annona sua miles contentus sit: ex præda hostium, non ex lacrymis provincialium habeat.

M. Antonius Consul Romanus solitus est dicere, privati multos habent judices, principes solum Deum, eumque rigidissimum judicem experiuntur.

Cædes erat commissa in præsentia quorundam, nec poterat autor reperiri. Judex igitur Hispanus jubet omnes, quos præsentes fuisse noverat, denudare pectus, motumque cordis explorat, cumq; trepidare alicuius cor præter modum sentiret, homicidam eum esse dicit, qui perterritus factum fatetur, & supplicio afficitur.

Demosthenes recitat juramentum judicum à Solone præscriptum: Feram sententias juxta leges,

nec

nec suffragium feram, ut debita cōdonentur, aut agri, aut domus locupletioribus eripiantur, nec reducā exules, nec liberabo damnatos, aut reos, nec accipiā munera judicii caussa: audiam pariter actorem, & reum, pronuntiabo de re, de qua propriè actio instituta est.

Trajanus Imperator præfecto prætorio tradens gladium dixit: Hoc gladio pro me utaris donec justa facio; si injusta fecero; contra me eodē utaris.

Chilo dicere solitus est: Optimam esse rempublicam, quæ maximè leges, minimè Rhetores audiat. Sic Athenienses in judicio absq; procemio, & affectib. rem agi volebant. Noctu res dijudicabant, ut nō oculos, sed tantum aures in judiciū adhiberent.

Zalevcus Legislator Locrensium inter alias legem tulit, qua mœchis utrūq; oculum erui jussit. Contra hanc legē cum ejus filius peccaret; strictè, quod sancitū erat, exequi voluit. Tota vero civitas meritis Zalevci mota intercedit pro filio, & mitigationē pœnæ petit. Pater ne refigeret leges, quas fixerat, sibi unum, & filio alterum oculum effodi curat, ut ita suo exemplo justitiam in subditorum animos altius infigeret, quod Claudianus sic ꝑbat.

Scilicet in vulgus manant exempla regentum,
Utq; ducum lituos sic mores castra sequuntur.

Mimus quidam græcè in Theatro Maximino Imperatori pœnā tyrānidis his verbis significavit:

Elephas grandis est, & occiditur.
Leo fortis est, & occiditur.
Tigris fortis est, & occiditur.

Cave multos, si singulos non times.

Cum autem Imperator græca non intelligeret, & interroganti alia sententia diceretur; mimus evasit. Imperator postea cum filio occisus est.

Antiochus tertius in Asia rex per literas singulis civitatibus significavit, se non velle, ut pro regio mandato agnoscerent, quod cũ legib. pugnaret.

Mycerinus rex Ægypti restituit judicia neglecta, justissimè judicavit, & rectè judicantibus præmia dedit.

Jojadas sacerdos impiam Athaliam, quæ per tyrannidem regnum occupaverat, & regios adolescentes interfici curaverat, trucidari jubet, & regnum vero hæredi restituit.

Poetæ finxerunt Jovem non sine consensu reliquorum Deorum tonare, pluvias vero fœcundas pro libitu mittere. Quo figmento significare voluerunt, potentes non debere in nemesi præcipites esse, sed expectare judicium bonorum. Huc pertinet commonefactio Ambrosii, qua Theodosium Imperatorē adhortatus est ad ferendā legem, qua præciperetur, ut post rescripta Imperatoris differrentur supplicia capitalia triginta dies, ne rei injusta ira rebus non satis inquisitis interficerentur.

Pausanias dux Græcorum factus superbus, & crudelis rapuit filiam præcipui civis Byzantii, & hanc noctu in subita consternatione interfecit. Deinde cum Persis fœdera facere conatus est hac conditione, ut daretur sibi uxor filia Xerxis, & ut adjutus Persicis auxiliis rex Græciæ fieret, eamq́;

Persi-

Persico Imperio subiiceret. Revocatus igitur Byzantio cum Ephori eum prahensuri, & in carcerem ducturi essent; fugit in templum. Ibi cum audissent Ephori ipsum fatentem crimen inclusus fame periit, & mater Alcithea cum muro fores obstruerentur primum lapidem in ea obstructione locavit.

Scribendarum legum caussa Decemviri Romæ creati sunt. Occasionem consilio legum scribendarum præbuerunt & sævitia fœneratorum, & nobilitatis superbia, quæ judicia eludebat.

Timoclea matrona Thebana cum posceret quidam ex Alexandri ductoribus quicquid habebat auri, & argenti, & illa corpori metueret, dixit se monstraturã, quo abiecisset. Educit igitur militẽ ad puteum in hortum, & ait ibi occultatum esse. Cumq; oculi militis ad puteum conversi essent; ipsa eum impellit, & in puteum præcipitat. Postea ad Alexandrum adducitur matrona, qui audiens eius narrationem, jussit eam cum filiis, & filiabus liberam esse.

Nerva Cocceius Imperator iniustè damnatos sub Domitiano restituit, prohibuit etiã sæviciam quæ in Christianos exercebatur, & Sycophantas quosdam occidi jussit: inter quos Sura Philosophus fuit.

Magnis & continentib. bellis Ungari rati potentiam Ottonis primi Imperatoris attritã, & Germaniæ vires exhaustas esse, copiis denuo quantis antea nunquã per Bavariã in Germaniam irru-

perunt populabundi crudelitatem maximam non minus, quam antea exercentes. Contra hos subito cœpit Imperator exercitum ex Bavaris, Suevis, Saxonibus, Francis, & Boemis, cumque illis congressus ad Lycum amnem non procul ab Augusta totū exercitum ad internecionem cecidit perpaucis captis, inter quos scribuntur fuisse tres reguli, quos Henricus Bavarus suspendio necavit.

Andreas Belæ filius rex Ungariæ conjugem habuit Gertrudem natā patre Bertholdo ex veteri familia Andessianorum comitum in Bavaria, tunc Dalmatiæ, Histriæ, & Meraniæ duce. Hujus Gertrudis visendæ gratia cum frater post mariti discessum venisset in Ungariā, & ex consuetudine familiari adamatam cōjugem Bancbacani præcipui gubernatoris, cui regni, & conjugis ac liberorū curam rex demandarat, consensu & ope reginæ stuprasset; Bancbacanus cōtumeliosam injuriā ulturus reginam obtruncavit. Ab hac cæde eū rex ex Syria reversus publico judicio absolvit.

Lenitatis probabilis, & nemesis exemplum exhibuit Henricus septimus Imperator, qui Turrianos seditiosos Mediolano ejecit. His adhærentes Gemonenses, Placentini, Parmenses, Papienses, & Brixienses re cognita cum ipsos vicarios præsides, quos paulo ante receperant, tum Gibellini nominis studiosos multa cæde expulerunt. Sed Imperator obsidionibus fatigatos, ac fractos coegit deditione facta pœnas luere, quas ille statuisset. Cremonenses ergo allegitis collo laqueis supplices facti cul-

pam

pam & pœnā grandi mulcta redemerunt. Brixianos ad defectionē impulerat Theobaldus Brussatus, quem Cæsar magnis beneficiis affecerat, hunc inter cadavera pro semimortuo repertum equis discerpsit, & quanquam cæde fratris graviter irritatus esset, tamen victus intercessione legatorum pontificis Brixianos, cum veniam suppliciter rogarent, recepit in gratiam, sed mulctatos magna pecunia, & demolitione murorum ac portarum urbis.

Hæc virtus circa sontes dolosos versatur, qui cum ex malitia peccent non etiā impune eam ferre debent, maximè si insanabilis est. Non autem quævis pœna sontibus hisce irroganda est, sed ea tantum, quæ delicto legitimo modo dicta est. Sunt enim quædā delicta, quæ duris verbis castigasse sat est: quædam mulcta corrigenda sunt: quædā arresto, aut carcere refrænari volunt: quędam deportatione, aut ultimo supplicio extirpari necesse est. Doloso igitur delicto deprehenso leges, & prudentū responsa audiantur, nec nō lenitatis suasu inquiratur num afflictio dolosorum, aut bonum publicū sanabilibus moderationem pœnæ impetret, ne sontes sententia injustè aut inscienter lata premantur, & judices mordacem conscientiæ suæ scrupulum injiciant. Justam sententiā judices nacti sine mitigatione eam exequantur. Magistratū enim gladio armatum esse decet, ut sit terrori malis, & fortiter defendat bonos,

De hac virtute Proverb.20. *Dissipat impios rex sapiens, & incurvat super eos fornicem. Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Proverb. 23. *Noli subtrahere à puero disciplinam. Si enim percusseris eum virga non morietur. Tu virga percuties eum, & animã eius de inferno liberabis.* Prover.28. *Fugit impius nemine persequente: Justus autẽ quasi leo confidens absq; terrore erit.* Prover.29. *Rex justus erigit terram. Abominantur justi virum impiũ.* Greg. *Justum est homines propter justitiam diligere, non autem justitiam propter homines postponere.* Cassio. *Justitia non novit patrẽ, non novit matrẽ, veritatem novit, personã non accipit, Deum imitatur.* Æsch. ὐδὲν ὄφελος πολιτείας μὴ ἐχούσης νεῦρα ἐπὶ ἀδικῦντας. *Nullus est usus reipublicæ non habentis nervos cõtra malos.* Cic. pro Roscio. *Quos ipsa natura retinere in officio non potest, ii magnitudine pœnæ maleficio submovendi sunt.* Cic. 1. offic. *Objurgationes etiam nonnunquã incidunt necessariæ, in quibus utendũ est forte & vocis contentione majore, & verborum gravitate acriore.* Sene. lib. 4. de virtut. *Justus ut sis non solum non nocebis, sed etiam nocentes prohibebis.* Sen. lib. de mori. *Vitia transmittit ad posteros, qui præsentibus culpis ignoscit. Bonis nocet, qui malis parcit.* Regula est. *Evidentia patrati sceleris non indiget clamore actoris.* Item: *Plus punitur sæpius delinquens.* P. Mimus: *Crudelem medicum intemperans æger facit.* Idem: *Felix improbitas optimorum calami-*

lamitas est. Idem: *Invitat culpam, qui peccatum præterit*. Idem: *In vindicando criminosa est celeritas*. Idem: *Judex damnatur cum nocens absolvitur*. Ovid. 4. de Pont.

Supplicibus facilem sontibus esse trucem.

Nemesin rigidissimè exercet conscientia, de qua Senec. in Epist. *Multos fortuna liberat pœna, metu neminem*. Ibid. *Nocens habuit aliquando latendi fortunam, nunquam fiduciam*. Ibid. *Maxima peccantiũ pœna est peccasse*. P. Mimus *Gravis animi pœna est, quem post factum pœnitet*. Idem: *Illo nocens se damnat, quo peccat die*. Regula est: *Delinquentes seipsos pœnæ subjiciunt*. Juven. satyr.

Exemplo quodcunq; malo committitur, ipsi
Displicet autori, prima est hæc ultio, quod se
Judice nemo nocens absolvitur, improba quãvis
Gratia fallacis prætoris vicerit urnam.

Idem: ---*Diri conscia facti*
Mens habet attonitos, & surdo verbere cadit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.
Pœna autem vehemens, & multo sævior illis,
Nocte dieq; suum gestare in pectore testem
Hi sunt qui trepidãt, & ad omnia fulgura pallẽt.

Huic virtuti inimica est inanis clementia, quæ delicta dolo malo commissa non tantum fert, sed etiam impunita dimittit. Deinde inimica est tyrannis quæ pœnæ modum nesciens sontes pariter, & insontes iniquissimè tractat.

FINIS.



Biblioteka Jagiellońska
stdr0028981